W. Jegomści Panu Grabowskiemu,
mm Panu y Dobrodzieiowi:
1727.

MONITA
SPIRITUALIA
SELECTA
V. P.
LUDOVICI
DE PONTE
è Societate JESU
Aſceticè, & Concionatoriè explanata.
à P.
MARTINO ŁUGOWSKI
ex eadem Societate
Ad uſum Concionatorum, & Religioſos adhortantium.

Typis Collegij Varſavienſis Soc: JESU Anno Dńi 1723.

In Stemma Domûs Illustrissimæ

Quæ ſævit, Cererem Regna metet manus. *Sarb: l.I.*
Tibi ſit noſtro de jure, Corona - Spicea *Tibull. l: I.*
Collectas meſſes, ipſis superintulit aſtris. *Statius.*



Copia quanta Tuo fundit ſe meſſis acervo!
Ex Lechiæ campis, huc redit omne decus.
At quám vaſtus adhuc Cœlis ſpectatur acervus,
Fructibus æthereis, nonniſi plenus erit.

JLLUSTRISSIMO
Domino, Domino,
JOSEPHO
in Jarocin
RADOLINSKI,
Succamerario Uschovensi, Domino,
Mecænati Faventissimo.

PRetiosas Divinæ Cereris Reliquias, excelsarum Cogitationum Sementem, auream eruditi Spiritûs messem, Tuo proposui recondere acervo, tanquam Virtutis universæ Seminario; Jllustrissimè Domine. Flos hic Divino concretus humore, Cæsareâ Caroli Ferdinandi inauguratus Majestate, Admdm Rndi Patris Nostri Generalis Thyrsi Gonzalez erudito eliquatus Sudore, debebatur Tibi Nazaræni Floris portitori Josepho, *Nobilitatis Principi, Sanctimoniæ*

ac Honorum emporio educandus. Ille igitur, qui, per Cælestium Voluminum V: Patris Ludovici de Ponte sparsus Olympia, qui, in Salmanticensis Universitatis Academo in Doctoralem exerevit laurum, florebat Hispali, Madriti, in Septicolli adolevit Urbe, in Pragensis Academiæ fovebatur Museo, qui Cæsarum tractabatur manu, Principum recreabat oculos, omnium trahebat Corda, in vernantem purpureâ, honorum Florâ, eruditionis & virtutũ divitem gemmis Acervum Tuum colligitur, Tuis offertur manibus; á Tua probitate meritum, á Principe dignitate cum honore pretium, á Josepho accepturus incrementum. Si enim avitum Illustrissimæ Domus Tuæ introspexero decus, virtutum Messem Sacerrimam, Honorum frugem copiosam ceu in siderum horrea coacervatam intueor. Sociasti pulcherrimó ordine virtutum ornatum congenitæ Tibi dignitati, non erubuisti illas in purpura, cũm his ita Sangvinem miscuisti, ut feceris illi probitatem Consangvineam: prætextam virtus induere visa á Majorum Tuorum Sago & toga. Nec Monitis meis Te monitum essevolo, cúm hæc piæ mentis oracula ita implêsti, ut vix in Te videantur differre à Natura. Per Te tamen alios velim esse monitos, cum Te horum primum Exemplar, & prototypon inspexerint. Liceat jam sagaciori rimari obtutu primam Juventutis adhuc Tuæ sementem, Posnaniensis, & Calissiensis licæi illatam solo, non spem tantum in herba uberrimæ probitatis, futurorum honorum in Culmo adoream, at maturam virtutis segetem, adultam dignitatum messem, manipulus adhuc

protu-

protulisti. Pulveres scholastici quibus politissimam Tuam expoliebas indolem, fertilioris glebæ induti naturam, adolescentum Cœtui virtutum famem pepererunt. Crevit in Te pietas cum annis, & antiquiorem Te reddidit, cùm Tuam superavit ætatem. Inter Philosophicas laureas victrices adeptus es virtutes, quæ in umbris Academi suum non amiserunt serenum; Gradus scientiarum gradus Tibi fuit ad pietatis solium, & dum illis instruebaris, instruebas has, ac sub Te videbantur profecisse. Eminebant in Te, cùm annis cæpisti eminere. Regios sortitæ titulos, dum Te Serenissimi Joannis Tertii educabat aula. Placuit indoles Tua Regi, quia Coronæ Majestatis gemma; Europæ Solis aurora. Progressu temporis nullam probitatis semitam reliquisti, qua non ires sublimiùs, nulla perfectio, quam perfectiorem non feceris; nullus virtutis apex, ad quem non contenderis. Orthodoxam fidem ut pupillam in publicis Regni Consiliis conservas, minimam errorum Hæreseon præcavendo festucam, ne leviter etiám illacrymari posset oculus fidei. Nihil veriùs differis quám pro vera Religione, nihil fundamentaliús, quám de fidei Orthodoxæ structura stabilienda, cujus Columna es. Plus dicam; dona hæc Sacræ Cereris, in Patrio reposita Acervo, ut suis obeliscis, quatuor innituntur virtutibus Cardinalibus, quas Proavus Tuus Petrus de RADOLIN WISICH Episcopus Cracoviensis, fecit in Te Eminentissimàs. Ille in Concilio Nisensi & Pisano, tam rotundê locutus est, ut rotæ Cardinalium dignus annumerari censeretur; tam profundè, ut oculus

lus fidei appellari posset. Sed quid á Te, ad Tuos appello Maiores? á quorum sangvine innatam habes panegyrim & Tuam addis. Laudaris eorum gloriâ & superas illam; geris lineamenta in dotibus, superstes absentium, & illorum es archetypus. Non testudineo passu apud Te incedit virtus. Et cùm Tua est, habet suam eminentiam. Prudentiæ Tuæ oculus, excelsis abripitur cogitationibus, futuram rerum faciem videt, ut præsentem in speculo. Videntur á Te mala imminentia, cernuntur futura tanquam ex specula, læta aut infausta Patriæ omina ex Tuo colliguntur vultu. Si fatorum livor incultis doctæ eruditionis sepeliret culturam cineribus, haberet in Tuo Capite Bibliothecam, per quod erudita assurgeret; Si enim consilium á Te privati capiunt, ita certi redeunt, ut non dubitent, ita persvasi ut Te Polonum credant oraculum; dum interrogaris, effata dicis; leges explicas, & agis legum interpretem. Nemo à Te recedit fluctuans, quem sensu plano in fortunæ non direxeris metam, nemo infelicitatis obductus nube, cui infortunum siparium non detraxeris. Sufficis á Consilijs unus omnibus, & unus omnium consilia complecteris. Tuarum sublimitate rationum Reipublicæ innitebatur regia, credidità; Te aut Athlanti Supparem, aut Giganti proximum, gravissimis sufficientem Poloniæ negotijs. Audivit Te Serenissimi Regis Majestas á majori Polonia Legatum, & redivivum arbitrata est Demosthenem, judicavitq; aureæ Eloquentiæ linguam, Regio inserendam diademati. Rosas ex verbis collegit Senatorum manus,

& credidit Hortensium. Mirata est Polonia, spirare in Te antiquam eloquentiam, & cunabula novæ. Quàm vero effuso elquentiæ Tago pretiosus sis? libeat ad bilancē Themidis Tuum examinare pretium. Ultro jam restituo honori Tuo debitum gratitudinis, ad justitialem libram, nec in puncto nomini Tuo volo esse injurius, tenerq; ex justitia, de Te justissimo, loqui justissimè. Certare Tecum de Tuo nolo pretio, excedis mensuram & ingenium, encomijs tamen licet Tuæ dignitati imparibus, ut valorem addas, contendo; Judex Illustrissimus ad Tribunal Regni Deputatus, accessisti Polono Areopago, ut alter Solon, legum Atheniensium Conditor ille, Tu Polonarum Conservator. Ita ad bilancem Themidis examinasti causarum merita, ut nec pœna præponderaret demeritum, nec meritum superaret præmium. Egisti judicem, ut Patrem non omitteres, nemo Te dixit punientem severum, cùm & in ipsis pœnis secutus sis jus Gratianum. Cùm verò Judicum æstimatissime ponderabas negotiorum onera, in Tua statura omnis se librabat virtus; tangebat Cœlum Religio, eminebat fidelitas, in Sidera elevabatur veritas; & quævis alia virtus sublimi lance ferebatur in Astra, cùm Te in omnium animos demitteres. Apparet in Decretis Tuum ingenium, & desideratur adhuc, legitur Tua vox & amatur, qui timebaris ut Judex, amabaris ut Justus. Candor animi album Tibi ad Dignitates porrexit calculum, sublimitas dotum dignum censuit, & merita elegerunt, nec in alienam messē misisti falcem, de Tuo fertilissimus. Sterilesce-

lescebat vicenis ultra annis Succamerariatus Uschovensis, cui Tu pridem maturuisti: in quem dum Te grandi nominis adultum famâ, Themidis libra elevavit, merito gradu, non præcipiti saltu sublimem fecit; jacebat dignitas ut incultus ager, á Te exoptabat excoli, in Politica prudentia versatissimo. Defunctus, videbatur honor suo officio, accessisti illi anima ac Palatinatus cor, & fecisti redivivum: revixit ille generoso Tuo animatus sangvine; Pulchré terrarum divortiis sociasti æquitatem, quam ut pupillam oculi tuitus es, ne minima etiam inficeretur lucri atomo. Mereris sane Jllustrissime Nobilitatis Princeps, Mägnorum Principum elogia, virtute Principe, amplias illa, dum hanc auges. Nec mirum quòd Regias collegisti virtutes, cúm & avitum Stemma Tuum LESZCZYC, *quasi á Lescone Poloniæ Rege sortitum nomen indicet se, esse illarũ fæcundissimã Regiam, infinitarumq; officinam. Et cum virtutes ad Principes ceras seu Tuas, admiseris, á Tuæ Domus decoribus majestatem, á Senatoriis nominibus purpuram, á nobilissimo sangvine, excelsæ mentis hauriunt succum; cúmq; Tua est probitas, apparet per Domus Tuæ titulos splendidior, Aborigines Tui ortum illi faciunt; nempe Patrius Domus Tuæ ácervus ex illis Cerealibus donis quæ Cælesti concrescunt massa, dignitatis colligit fasces, honorum fascias. Influit in Domus Vestræ pretiosissimam messem lectissima Virorum Reipublicæ manus, Gradivi ferro, Bellonæ insignibus, honorum omnium onerata fascibus: Quantus sese in* RADOMICCIJS, SARNOWSCIJS, KONIECPOLSCIJS,

LA-

LASCZYIJS, MYCIELSCIJS, SWINARSCIJS, ZYCHLINSCIJS, SOKOLNICCIJS, WALEWSCIJS, ZAPOLSCIJS, PONIATOWSCIJS, & *sexcentis nominib9 segetis clypeatæ Virorum & amplissimarum Dignitatum Campus explicat? Refertis pretiosissimæ frugis adoreā Stellarum lumina, unionum pretium, ac dignitate exceditis. Colligata enim Tuæ Domus nomina, non aliter connectūtur sibi, quā Stellæ olympo, conchilijs gemmæ, radii siderum Principi. Evolvit se adhuc Illustrissimæ Domus horoscopus in Magnifico Dno* Andrea RADOLINSKI *Fratre Tuo. Præstis gemini Fratres terris, ut Castor & Pollux Cælis. Geminatis Domus Vestræ splendores & facitis gloriæ meridiem. Offert se in Illustrissima prole Tua, exigua adhuc Semente, spes proventus uberrimi, fertilitas laudum. In* Nicolao *apparet dignitatum aurea in culmo adorea, in* Andrea *feracissimum ingenium, in* Josepho *bonorum incrementum, per* Adalberti *rosas transsparet jā murex Senatorius. Illa in Domus Tuæ vernātissimis floribus (Perillustres loquor Filios) est cultura, ut non dum adulti annis, jā maturi decoribus. Verterunt Virtute diē, quā lassa negabant tēpora. Quasi forent præcoces roris Filii, inter scientiarum Deæ producti imbres, uniones, sata Cælestia, peculiari Cælorum impendio procreata. Permitte tandem Illustrissime Dne Cor Tuum tangi in Perillustri Magnifico Dno* Nicolao Swinarski;x *Tuus est, & omnium. Influit in Tuum sangvinē & Te animat, anima ille Tibi & cor Tuum in Consorte Tua lectissima, ac magni ani-*

)2(*mi*

~~x quaestor ex Societate~~
Alter fuit ceapa Castell. Livoniae

mi domicilium. Illustrissim9 Deputat9, Judex accedit Domui Tuæ, ut Sidus olympo, Soli radius, gēmeum Coronæ pretium, in pretium tanti Viri novum se pandit genus elogii, hic enim cúm in Polono Equite omnium inclusit Eminentiā, fecit se dignitatum Iliadē. In Gołuchoviensi arce veluti Majoris Poloniæ Regia, Capitolium suum Honor illi erigit, triumphales arcus Fortuna, dum illā apparatu splendido é ruderum cineribus excitavit Senatoria Domus, non alium Te ambire desiderat quā purpuratum, cujus Nominis immortalis es architectus. Sed quid ultra oratio progreditur, in colligenda aurea, adulti meritis, virtutibus, & honore acervi, sementem cui vastissima etiā haud sufficiunt ingenia. Absolvā verbo omnia: Quidquid Polono generi floris est, vobis nativum ut Florentiæ. Collegistis ex cāpis Poloniæ omne florum decus, purpureā Hyblā, Flori & Hortensij eloquentiœ rosas, ex Senatu; triumphales laurus ex arena Martis. Florentissima nomina, vernātissimos titulos, pietatis fasciculos, collegistis, ex Patrio acervo, ut Honorum tēplo, virtutum Augustali intulistis. Admitte etiā Illustrissime Dne inter fertilissima Gentilitij acervi decora Sanctarum Cogitationum sementē, rectè agendorum optimā messem, ac spē in herba Beatæ in terris vitæ. Eam Tuo insero acervo, non ut aliquid vitæ Tuæ Nobilissimis actis addā, sed ut in Sanctioris vitæ collectos manipulos, in ornamentum, á Tuis derivē decoribus. In amplissimā Prosapiæ Tuæ messem immitto manum, ut de præcellente tantorū nominū nexu, Coronā labori meo nectā, & de Tuo pretio faciā cariorē. Cum Tua gloriæ messe, hic

hic flos vult crescere, per Te in Floridã famæ eluctari, in Tua Domo antiquissima in Polonia, & nusquã defectura, conservari. Scio etiã quod Principes curas Illustrissime Nobilitatis Princeps, cum ascesi soleas dividere, conarisq; esse ex utroq; Cæsar, sic publicus, ut cum Numine solus agas. Novi optimè illã mentem, quæ aut in Regni Tribunali librabat fata, aut gravissima attollebat Palatinatûs negotia, aut hæreditaria terrarũ mole occupabatur, Cælestium cogitationũ alis interdũ in Cælũ evolare. Idcirco ut expeditiores evolaturæ in Beatã Patriã menti Tuæ instruerem pennas, Libellũ Cælesti conscriptum annuitu, offero. A Tuis dotibus ingenium, ab Avita decorum pompa dignitatem, à Virtutum Tuarum splendoribus, diluculum, in Honorum Tuorum auge & Flore, accepturum.

Illustrissimo & Munificentissimo Nomini Tuo

Devinctissimus

Servus M.Ł.S.J.

L I C E N T I A
Illustrissimi Loci Ordinarij
Imprimatur.

JOANNES TARŁO

EPISCOPUS POSNANIENSIS. *mpp.*

STEPHANUS SCZANIECKI
PRÆPOSITUS PROVINCIALIS SOC: JESU per POLONIAM.

CUm Opus quod inscribitur; *Monita Spiritualia Selecta V. P. Ludovici de Ponte, explanata &c. á P. Martino Ługowski* aliquot ejusdem SOCIETATIS Thelogi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi factâ ab A.R.P. Nostro Michaële ANGELO TAMBURINO Societatis nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, si ijs ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem has Literas manu mea firmatas & sigillo munitas dedi. *Ravæ* 17. 8*bris* 1722.
STEPHANUS SCZANIECKI.

Protestatio Authoris.

INsistendo Decreto Urbani VIII 5 Julij MDCXXXI, Protestor, quod quæcunq; in hoc Opere de Personis in Cathalogum Beatorum vel Sanctorum non relatis, recensui, illis humanam solùm fidem adhiberi velim.

PRÆFATIO

Celeberrimus Asceta V. Pater Ludovicus de Ponte, eruditissimi Spiritûs, pretiosas reliquias in manuscriptis suis sparsas, post felicem è vita exitum, fecerat residuas. Quas postmodum A.R. P. noster Thyrsus GONZALEZ, piæ & dignissimæ memoriæ, collegerat, cùm adhuc in sua Patria privatus degeret, ac in Salmanticensi Academia Doctoris S. Theologiæ munere fungeretur, in classesq; digesserat, tum Hispali primum, demum Madriti, Hispanico idiomate, in lucem edi curaverat sub titulo: Pretiosa sensa &c. Assumpta autem supra totam Societatem Præfecturâ, in Italicum transferri mandavit, ac Romæ imprimi. Quœ demum P. Aurelius Bàënsten è Societate nostra in Latinum transtulit, & Typographia Pragensis Universitatis Carolo Ferdinan: in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, prælo dedit. Quod opusculum, dum cum animi mei gustu volvissem, devenissemq; ad Monita Spiritualia Authoris, adverti profundas & maximi valoris venas, ad perfectionẽ Christianam & Religiosam cumulandam, in illo recondi. Itaq; Divina inspirante & adjuvante gratia, compulsus sum ad eruendum thesaurum tantum, assumpsiq; laborem per explanationem illorum Monitorum, non omnium, sed peculiarium, nempe viginti (cùm á V. Patre Ludovico triginta sex sint posita) eorum scilicet, quæ singularia esse, & praxi magis convenientia ac frequentius, judicavi. Horùm veritatem Monitorum, Sacri eloquij testimonijs demonstrare, SS. Patrum

effatis stabilire, rationibus, & varijs exemplis dilucidare, pro modulo meo contendo. Supra vires quidem Spiritûs mei & ingenij nitor. Sed cúm nôrim, conchas aperiri etiam ab incultis manibus, ut gemmarum nitor & decor pateat; nec pretiosa metalla, paribus effodi instrumentis, ast plebeiô ferro, eidemq; adamantes subjci, ut publico valori & admirationi prostent, regnantiumq; illustrent diademata. Mihi quoq; par dabitur venia, cùm rudi & incultâ facundia, ac vulgari spiritu, æstimatissimorum Monitorum audeo explanationem aggredi, stylo álias aureo & pretiosiore Spiritu annotandam. Porro, quæ adduco hîc exempla, ea passim domestica suppeditat historia: (Alliciunt quippe facilius, quæ propius spectantur) illa dabunt, acta Societatis, Annuæ, Authores, pietatè æquè, ac suis voluminibus lectissimi: Tanner, Lancicius, Nadasi, Barij &c. Quanquam nonulla etiam extranea sese insinuabunt. Habet enim ubiq; sua, virtus documenta.

MONITORUM
Explanatorum
INDEX.

1. SI sincerè inferni te supplicia meruisse censeres, nec de malis, quæ pateris, nec de bonis, quibus non frueris conquerêre.
2. Homuncio misèr, dispone domui tuæ; cras forte morieris. Villice iniquitatis, vide quid agas; cras fortè reddes rationem, villicationis tuæ.
3. Experientiâ didici, metum puerilem, esse consvetum superbis supplicium; & ad DEI Justitiam pertinet: ut qui vanè & absq; ratione gloriatur, vanè & absq; ratione formidet.
4. Proposita tua ne differas exequi: si enim id quod potes, non præstas modo? fiet ut in dies possis minus.
5. Accipe quæ dulcia sunt hujus vitæ pro amaris; amara pro dulcibus: & summa pace frueris.
6. Curam habe eorum quæ DEI sunt: quæ tua sunt, DEUS satis curabit.
7. Liberalitate erga te sua utetur DEUS; si tu erga proximum, tuâ usus fueris.
8. Qui verè humilis est, omni se bono ac favore, reputat indignum; sed contra, quovis malo & pæna dignissimum.
9. Si in illis, quæ peragis, anxiè turbaris; indicium est quod te, & quæ tua sunt; quæras.
10. In hoc totus esto; ut omnia, & sola, quæ cupit DEUS, exequaris.
11. Si DEI continuo recordari desideras; cura ut tui ipsius obliviscaris.

12. Memoriam tui conservabit DEUS; si tu, tui memoriam voluntariè abjeceris.

13. Plus studij colloca in oratione, quàm in mortificatione: quia mortificationis expers, orationem quærit, nec invenit: verè autem mortificatum, ipsa quærit & invenit oratio.

14. Qui propter ignaviam suam, minore bono contentus est, jam malo appropinquat.

15. Optanti humiliter delitescere, DEUS se manifestat vanè ostentanti occultat.

16. Vocatus à DEO, literam scriptionis ut est, imperfectam relinque.

17. Tunc rectè de te ordinat DEUS, quando obedientia, propria tua consilia disturbat.

18. Semper loqui de se bene, de alijs malè, de DEO nunquam; terrena prorsus locutio est. Sed contra: de alijs bene loqui, de se pessimè, de DEO aut pro DEO semper: id verò lingvæ non nisi Cœlum & Cœlestia Sapientis est.

19. Fac pro DEO quidquid potes; quidquid non poteris, pro te faciet DEUS ipse.

20. Satage tu adimplere res exiguas; & adjuvabit te DEUS ut adimpleas etiam majores.

MONITUM I.

Si sinceré inferni supplicia te meruisse censeres; nec de malis quæ pateris, nec de bonis quibus non frueris unquam conquerêre. I.

V*Adam ad portas inferi*, ait de se Propheta. Dum nos premit tribulatio, dum coarctant angustiæ, dum opprimunt Cruces adversitatum, dum dolorum acerbitas vexat, dum lingvarum ac calamorum aculei diriùs & profundiùs pungunt; ut hæc toleremus sine molestia, & sine fastidio; necesse est, quatenus vadamus ad portas inferi, intelligamusq; ibi inenarrabiles cruciatus damnatorum, & lamentabile eorum væ audiamus, cogitando, quòd eadem supplicia & nos meruerimus: & nunc levior nobis reddetur tortura quævis præsens. Exclamabit nostrum quilibet: *Me miserum! me miserum! quia nondum á gehennæ igne sum liber: nondum mihi constat, quonam hinc sim profecturus?* & quia non sum á gehenna adhuc liber, ut hanc evadam, feram temporales pænas. Debeo enim justitiæ Divinæ pro delictis meis exsolutionem. Et si, pro his, hîc, per toleratas afflictiones vitæ præsentis non exsòlvam, incomparabiliter dirius exsolvere debebo

Isa: 38. 10.

B. Isaac Ab Or. 14.

Iob. 6.4.

Iob 6. 4. bo post decessum è vita. *Sagittæ Domini in me sunt & terrores Domini militant contra me*, dicit Job in suis ærumnis. Sagittas ergo Domini post mortem saucaintes, infigamus menti nostræ, & terrores Domini justi Judicis, militent contra nos per imaginationem; ac sic ictus quosvis & vulnera adversæ fortunæ tolerabimus facilè. Unde (prout expendit

Moral: l. 7. cap. 3. D. Gregorius) *Justorum mens non solùm perpendit, quod tolerat; sed etiam pavet, quod restat. Videt qualia in hac vita patitur: metuit, ne post hanc graviora patiatur.* Inferni tormenta Drithelmus á morte redivivus cum vidisset, severissimam vitam duxit, & sæpe rigido lacui, se immersit. Quærentibus verò, quomodo tantum rigorem sustinere posset? id unum respondit: *acerbiora vidi.* S. Franciscus Borgias, dicebat; se, quoties iter faceret, duos prodromos mittere ad hospitia, in quibus diversurus esset; scilicet cognitionem suorùm peccatorum, & contemplationem, pœnarum inferni, quas meritus fuisset suis peccatis; sicq; fieri, ut omnia diversoria optimè semper præparata inveniret, etsi omnia necessaria deessent. Bellovacensis narrat, qualiter Titus Vespasiani filius, in obsidione Hierosolymitana, dum suos milites, ad intrepidum certamen animare vellet, exemplum illis proposuerit Leonidis (qui unus fuit è Socijs Alexandri magni) cum enim invictus hic Dùx innumerabilem contra se Persarum exercitum adventare cerneret, seq; nonnisi trecentos nùmerare Lacedæmones, ita eos allocutus est. *Prandeamus hodie in terris, quia sumus cœnaturi apud inferos*; quod dictum, militibus tam generosum suggessit animum, ut nullus uno excepto, à prælio se subtraxerit

Adversa quævis consideratione inferni levia redduntur.

Vita l. 4. c. 1.

Specul. moral. p. 3. l. 2. Dist. 4.

xerit

xerit; ſed adeo fortiter pugnarunt, ut victores gloriosè evaſerint. A quibus Bellovacenſis, ad nos ſermonem convertens ita ſubjungit. *Qui cogitat quàm mala ſit cæna inferni, viriliter dimicat, ne vincatur; ac vinctus & captus, ad illam perducatur.* Itaq; strenuè quoſvis inſultus hoſtiles tolerabimus; ad quævis pericula nos reſolvemus, feremus quasvis ærumnas, quibusvis adverſorum telis nos opponemus; ſi cænam inferni ad quam trahi meremur, in imaginatione noſtra locabimus.

Cùm feciſſet quaſi flagellum quoddam de funiculis Dominus, ejecit protinus vendentes, & ementes de templo. Deſeruerunt ſtatim alij lucra ſua ex venditione, alij emolumenta ex emptione, flagello Domini perterriti. Ita propter flagellum privari ſe fecerant bonorum temporalium proventu & fructu. Didicit inter homines iraſci, Verbum & Sapientia DEI; & quæ in orbe terrarum olim ludebat, nunc ferit. Nimirum: nullus DEO mitior, ideoq; nullus eo potentior in ſupplicio eſt. Apertè id elucet in àëre: quô quidem elemento quid delicatius, atq; placidiùs? eô tamen iratô, quid inclementius? denſatur in pluvias, concreſcit in grandines, furit in turbine, ferocit in ventis, ardet in fulgetris, in fulminibus debacchatur; ſolem ſubducit, diem repentè commutat in noctem. Unde mirùm eſſe non debet, ſi mitiſſimus generis humani Servator, flagellis ementes vendentesq; è templo eliminet; quia facile detrimenta iocorum ſubeunt, dum flagellum Domini circumſpiciunt, quod ſi tantùm potuit flagellum iræ DEI leve, ut pote è funiculis? quid non poterit præſtare conſideratum à nobis rudentium inferni

2. Ioan: 2. 15.

ferni? certe ad æquanimiter, ſuſcipiendam jacturam bonorum temporalium; famœ, honoris, fortunæ, nos iſtud compellet, ſi menti noſtræ obverſabitur. Ex-
Iſa: 33. 14. pendite quæſo. *Quis habitare poterit de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Tam infelicia tabernacula meruiſtis; & habitare in ærumnis temporalibus, ſpoliationeq; tranſitoriorum bonorum & ſolatiorum, renuitis? O ſanè levia vobis evaderent adverſa, & proſperis deſtitutio; ſi quantorum ſuppliciorum vos incolas facere deberent veſtra crimina, mente volveretis. Æternum plorare deberes pro riſu, ardere pro voluptate, pro epulis eſurire, totus torqueri pro indulgentia uni ſenſui, & quid abundare vis ſolatijs? cur ſvavitate bonorum temporalium mulceri? cur hic affligi detrectas? cur moleſtijs morderi recuſas? ignis ardet, carcer ſempiternus: hæc ſi penſentur, coercebunt impatientias noſtras in adverſis, comprimemusq; in malis, quæ patimur querelas, ac de bonis, quibus non fruimur, mœſtitias. Inferni
Iſa: 34. 10. ſupplicia, ſic deſcribit Propheta. *Nocte & die non extingvetur*, nempe ignis infernalis; *in ſempiternum aſcendet fumus ejus; á generatione in generationem deſolabitur: in ſecula ſeculorum non erit tranſiens per eam.* ſcilicet pænam. In qua deſcriptione notandum, nullum tranſiturum per infernum; non enim damnati peregrinantur in flammis, ſed æternum in ipſis habitabunt. Et tu cur peregrinari non vis in æſtu tribulationum præſentium, qui habitare meruiſti in ardoribus ſempiternis? O ſatius eſt hic tranſitoriè uri, ut tibi DEUS in æternum parcat ab inextingvibili incendio. Audi, & vide in afflictione
poſi-

positum Nehemiam: *Sedi, & flevi, & luxi dieb9 multis*, inquit, *& orabam ante faciem DEI Cœli. Et dixi quæso Domine Deus Cæli, fortis magne & terribilis.* Ejus sequere exemplum. Sede tantisper in luctu, per annos etiam plures tolerando tribulationes; & time ante faciem DEI Cœli; deprecareq; Dominum fortem, magnum & terribilem, cujus iram incurristi per peccata tua, & vindictam ab eô meruisti, in incolatu pænarum infernalium perpetuo. Etsi diutissimè sederis hic in ærumnis, transibis tamen illas cum tempore, illæq; transibunt à te saltem cum vita tua; sed si sederis in inferno, residere debebis in eo in æternum, nec te unquam ab ej9 supplicijs vel ad momentum movere poteris. 2. Esdræ 14.

Sub Samuelis manu, spectemus Agag, non pallere tantum sed tremere, fletuq; muliebri in ejulatus; virô multo magis Principe indignos, emollitum. *Oblatus est ei Agag pingvissimus & tremens. Et dixit Agag; siccine separat amara mors?* Exutum Regnô, onustum catenis Principem, Sacerdotis gladius evibratus inter gemmas *Rationalis*, & fimbriæ tintinnabula, ita conterruit; ut quem pudere vitæ debuit, sicam tamen exhorreret, qua nihil nisi vincula teterrimæ servitutis truncabantur. Per comparationem á minori ad majus, ex hac funesta historia, ac de Esau, aliâ, funestissimum extremi judicij diem, & horrendas inferni pœnas inducit Oliva sic differens. *Quid rogo pavoris incesset, quando gladius exeretur non gemmis ad illecebram temperatus, sed cometis ad stragem feraliter coruscus? quo sanè non servitutis nodus incidetur; sed Regni fasciâ exsoluta, gordia sane vincula consventur. Irrugit*

3. 1. Reg. 15. 32

Differt: in Evan: Quad: fer. 2. Dom: 1. Dies jud.

Infernus. *git trajecti in morem Leonis Esau, ubi excidisse se sensit, dolô fratris, familiæ principatu. Infremuit; efferbuit, exarsit. Et tamen assidebat Parenti, rore Cæli aspergebatur, mulcebatur blanditijs caligantis.*
Gen. 27. 34. *Irrugijt clamore magno, & consternatus ait: Benedic etiam mihi Pater mi. Carebat Patrimonio non Patre Esau, & benedictione fraudabatur, nec sulphuri destinabatur. sed perfundebatur Cœli rore, soliq; delicijs, victurus sui, vi gloriâq; teli. Vives in*
Ib. 40. *gladiô. Quid te fiet? qui invisus Patri, exosus fratribus, gladiô non vives, sed confodiere; non Cæli rore inspergendus, sed gehennæ pice discruciandus exutus regnô, insutus culeô, jactandus fluctibus, non æquoris, sed inferorum? Tunc non Patri escas inferes, ut referas in patina principatum, sed eris vermium esca, & cibus ignis, ut suppliciô tuo hostem tuum satanam exsatures.* Iras implacabiles Omnipotentis & vindictas quas delictis nostris provocavimus; perenniaq; barathri incendia, quæ criminibus ad sæviendum in nos accendimus, cogitemus precor; & non nos consternabit ictus adversitatum, ut consternaverat Regem Agag gladius Samuelis contra se vibratus; nec irrugiemus clamore magno, uti Esau dum nobis honores adimentur, primatûsq; â nobis tollentur? Spoliari Regnô æterno meruimus, sententiam Supremo Judici in nos terribilem: *Ite maledicti in ignem æternum*, nefas nostrum non unum dictavit; gehennam nostra nobis erexerunt scelera: adhucne, qui his tantis, nunquam desituris malis subjacemus, scissuras temporaneas nostri & vulnera ad tempus nos exacerbantia, timebimus? adhuc ne dignitatum, & transitoriæ

Infernũ meruimus & cur supplicia temporanea horremus.

toriæ præeminentiæ detrimenta formidabimus? Ri-dent, si torrenti, vel alveo brevi, aut humili fossæ im-mergantur; qui ad inexhausti æquoris, & profun-dissimi pelagi littus consisstunt, ex eo præcipitan-di in abyssum aquarum. Fluctûs spumantis fluvi-oli læto vultu excipiunt, qui se fluctibus sævissimi maris absorbendos advertunt. Ferunt fronte aper-ta, leniter è Cœlo cadentem pluviam; qui fulgura & tonitrua in se vibrari conspiciunt. *S*ustinent æ-stum solis non turbata mente; qui incendia fornacis Babilonicæ intuentur, in ea conijciendi cum ipsis ac-cusatoribus Daniells, ejusq; sociorum. Pulvere a-spergi non verentur, in quos montes integri ruunt: Non horrent acumen scalpelli, quos gladij, hosti-les circumdant in acie. Morsum culicis sine fasti-dio tolerant, qui ad lanienam, sævissimaq; quæerun-tur vulnera. Leves, virgæ, vel baccelli plagas pu-tant, quorum ossa fustibus comminui, visceraq; contundi. ac dispergi debent. Non contristat pa-tremfamilias, unius & alterius in horreo modij de-trimentum, quem manet totius horrei per violen-tas flammas, vel per rabiem vastantis Provinciam ho-stilis furoris, jactura gravissima. Nec agricolam mærore afficit, in uno aliove jugere sterilis labor, & messis modica, aut nulla, qui depopulationem omnis sui agri præstolatur & timet. Ita & nobis terrori non erunt, qvævis supplicia hujus vitæ, a-tomus & punctum sunt, si æternis pænis compa-rentur, quas nobis peccatis nostris paravimus; nec nos affligent quævis detrimenta boni temporalis, veluti modici pulveris; si conferantur cum jactu-ra bonorum æternorum, quam crimina nostra no-

bis inferunt; dum modò sincerè inferni nos incendia meruisse, censeamus.

MONITUM II.

Homuncio miser dispone domui tuæ; cras fortè morieris. Villice iniquitatis; vide quid agas? cras fortè reddes rationem villicationis tuæ.

I. IDem inculcare nobis videtur, Magister noster Christus, nos admonens: *Vigilate; nescitis enim quando Dominus domûs veniat: serò an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cùm venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.*

Marc. 13. & v. 36.

Serò Dominus venit; ait S. Honorius, *cùm aliquem in senectute de hac vita exire præcipit. Media nocte advenit, cùm aliquem in juventute, inopinata morte evocat. Galli cantu adventat; cùm aliquem in adolescentia obire imperat. Mane supervenit, cúm quempiam in pueritia subtrahit.* Proinde quælibet ætas vigilare debet, & esse parata ad reddendam districto Judici Domino suo, vitæ rationem, & qualibet die & hora, vigil ac expedita ad calculum faciendum esse tenetur. Nunquam securi idcirco simus & nunquam à metu salutifero liberi, sed semper ad fatum expediti. Ideoq; in alio loco furi Dominus mortem comparavit: *Si sciret, quâ hora fur veniret.* Similem se facit Filius hominis furi, cùm potuisset fulguri se comparare. Sed enim non plena incertitudo fulminis est, quod nubes parturiunt, & præ-

Ser: de adv: Dom:

Ad mortem qualibet ætas sit parata.

Luc: 12.39.

præenuntiant fulgetra. Maluit comparatione deterrima, notari adventum suum, quàm vestigium certæ mortis mortalibus superesse. Fur habear, dum illi incerti funerum, vivant. Quodsi quæras, cur vitæ incertitudo à Salvatore inculcetur hominibus? habes rationem insinuatam in monito: ut scilicet disponamus nos ad æternitatem, & ad rationes vitæ Domino præsentandas: Non aliunde enim Oeconomus segnescit, in administratione bonorum sibi creditorum, & dilapidat substantiam Domini, per rapinas & injurias, ac luxum; quàm quòd Domini adventum, serò ad se futurum autumet. *Si autem dixerit malus servus in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & cæperit, percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus in die quo non sperat, & horâ, qua ignorat.* Unde advertis; id circo in colluvie criminum immergi nefarios, quòd se procul distare à sepulchro censeant; nec aliter sentinam vitiorum coërceri posse, ne fœdè exundet, quàm aggere incertissimi tumuli: tolliq; illa stagnans sordities nequit aliô modo, quàm si pulvere, in quem resolvendi mox sumus, obruatur. Insolescunt scelera, ferociunt delicta, & unde? quia mors non imminens cernitur, sed lento passu, à remoto annorum spatio, creditur procedere. Hinc in lasciviam dissolvitur juventus, viri, immo & senes, fragilis ætatis non deserendo spurcitias, in carne & sangvine volutantur. Hinc magnates fastu tument, luxu exundant, per publicas jacturas, privatas accumulant fortunas, & oppressionibus paûperum ærarium implent, ut subsidia superbiæ & jactantiæ ampliora provideant; deesse-

Mortis incertitudo est ad salutem nostram.

Matt: 24. 48

Mortis oblivio, scelerũ progenies.

esseq; nihil licentiæ suæ volunt ad pompam, & si idcirco deesse debeat ijs, quos iniquè esuriunt, ad vitam; vel nihil ad hanc sustentandam pluribus superesse. Hinc liberè vagantur latrocinia, cædes, & rapinæ; ac sævit avaritia immaniter, in innocuos domesticos & peregrinos, improbaq; ditescit nequitia, inopiâ aliena. Hinc lites & jurgia consurgunt, quibus rumpuntur leges, convelluntur statuta, subruitur justitia; ut ambitio inhians opibus & honoribus, per humanorum & Divinorum edictorum expilatum thesaurum, illos sibi adaugeat. Hinc æternorum bonorum spes exulat à mente, quam temporalium possederunt desideria. Hinc DEI & Divorum, Divinorumq; cultus postponitur, futilium dignitatum mundi studiô. Hinc deniq; regnat iniquitas, improbitas tenet imperium, nobilitatur nefas; ad plebeiam verò servilem & abjectam sortem, virtus deprimitur: ita, ut pudeat, non esse impudentem, & pro honestamento reputetur dedecus, gloriæ ducatur opprobrium; fætidum inquinamentum, ùt speciosa credatur pulchritudo, & delictorum sordes, dum spurcissimum exhalant odorem, svavissimè olere videantur; ita, ut veluti florum Regina rosâ, censeatur esse nequitia, in Hesperijs hortis florida, quæ & urticæ despicabili, in pervio pecudibus tramite, ac ad tuguriola, sepes & sterquilinia succrescenti, nequit comparari. Sed si hi omnes quorum mens ita dementata, funus suum ante se propositum contemplari vellent, mutarent sensum tam improbè, & tam fætidè erroneum, mutarent & animum. Mutavit sanè falsam opinionem suam, Rex potentissimus æquè ac fœlicissimus (juxta genium sæculi

culi) Salomon, de omnibus suis delicijs, voluptatibus, illecebris, solatijs, quibus cum offensa divina liberè & liberaliter fruebatur, dum ait: *Et omnia quæ desideraverant oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur; & oblectaret se in his, quæ paraveram;* mutavit inquam illam opinionem, dum exclamavit. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Et quomodo mutavit? exprimit ipse dicens: *Cum me convertissem ad universa quæ fecerant manus meæ;* subijcitq; mox se advertisse, *nihil permanere sub Sole.* Vidit, inquam, omnia quæ solicitè quæsierat, tanquam solatia & decora vitæ, & circa quæ possidenda labores & conatûs suos omnes expenderat, esse meram vanitatem, inaneq; nihil; spiritûs confusivum & afflictivum; vidit insuper hæc omnia miserrima esse, & lacrymis pro suo usu digna, non gaudijs, dum se ad illa convertit retro, & desijsse cum sua desinente vita advertit. O si & nos occasum eorum spectaremus, quæ pulchra visu nobis apparent, quæ cor ad se rapiunt, in occasum vitæ nostræ figendo palpebram, in quo omnia temporalia oblectamenta simul occidunt, ad ortum revocanda nunquam! judicium certè de illis verum, & salutare ferremus, Ferent hoc quidem verum, sed ne utiquam ad salutem suam, reprobi; in die judicij extremo, dum se in morte æterna positos conspicient; & cum gemitu & ejulatu exclamabunt. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis quæ pertransivit fluctuantem aquam, cujus, cùm præ-*

Eccl. 2. 10.

Ib: 11.

Mortis memoria vanitates mundi demonstrat.

Sap. 5. c. v. 8

præterierit, non est vestigium invenire, neq; semitam carinæ in fluctibus: aut tanquam avis, quæ transvolat in aëre &c. aut tanquam Sagitta emissa in locum de-
14. *stinatum &c. Talia dixerunt in inferno, hi, qui peccaverunt,* in damnatione perpetua sepulti: quæ dicta illorum, non nisi torturas gehennæ excerbant, cùm já prodesse illis non possint ad beatitudinem. Similia dicemus nos ad salutẽ defixo in mortẽ nostro obtutu.

Sperabam usq; ad mane: quasi leo sic contrivit
2. *omnia ossa mea:* ait cum dolore Rex Ezechias. Au-
Is. 38. 13. sus est non desperare hic Monarcha crastinam lucem, & mox quasi à leone, omnia sibi ossa sensit à DEO contusa, contritaq;. Nam summè DEO displicet in homine, vitæ spes. Mortalis es o homo! mortem ergo meditare; non spera, aut suspira vitam. Ubi architecti fortunarum? ubi palatiorum & magnificarum ædium fabricatores? ubi purpuræ candidati, & ambitionis sectatores? ubi voluptatum nundinatores? ubi solatiorum hujus sæculi inquisitores soliciti? Si non sperarent mane, manerent domi lugentes scelera sua, non foris vagarentur, tendentes retibus retia deliciarum & honorum. Non enim aliud capit inordinatorum desideriorum rete, quàm retia. Nam dum ambitiosus honores consequitur, dum hos tenere se credit, tenetur captus, dum capit, præda veriùs, quàm prædo: & dum lascivus voluptates absurdas comprehendit, comprehenditur ab ijsdem; irretitusq; manet fædis amoribus, libidinis præda, esca sceleris: Non considerant stulti finem suum, & ideo extendunt retia ad capturam, capiuntur infelices: Hoc idem optimè
Eccl. 9. 12. notat sapiens: *Nescit homo finem suum, & sicut pi-*

Ex mortis oblivione vana desideria & cura.

sces

ſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo. Extendit avicula miſera alas ſuas, & volitat his ad capiendam eſcam, aut piſciculus branchias diſtendit, os resolvit & exporrigit, ad attrahendum exporrectum vermiculi pabulum; & ecce illa in laqueo includitur, hic in hamo hæret. Pariter mortales, dum ſolatiorum temporalium eſcam avidè venantur, implicantur ipſimet ad ſuam perniciem.

Videtur eſſe curioſa oratio Davidis ad Dominum: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum qui eſt? ut ſciam quid deſit mihi.* Sed ne utiquam ille ſcire deſiderabat, quid deeſſet ad cumulum bonorum temporalium; quia innoteſcere ſibi ideo finem ſuum non deſideraret. Qui enim cognoſcit finem vitæ ſuæ, illi deſipiunt terrena omnia, nec hæc captat avidè: quia *nulla eſſe tranſitoria, ex fine penſat.* Verum ſcire cupiebat Propheta, quid ſibi deeſſet ad ſalutem, & æternœ felicitatis poſſeſſionem promerendam; id circo finem ſuum, & numerum dierum ſuorum noſſe exoptat. Non legitur tamen id impetraſſe. nam non eſt neceſſe ut petatur à Domino notitia finis vitæ; imò expedire videtur, ut plures ignotum habeant extremum diem. *Si enim præſciret homo non unus, diem obitûs ſui, totam vitam ſuam in peccatis peragerct, vel quandoq; per tres dies ante mortē ſuam, dederet ſe pœnitentiæ.* Ac ob hanc cauſam, *Conditor noſter latere nos voluit finem noſtrum; ut dum incerti ſumus, quando moriemur, ſemper ad mortē parati inveniamur. Quotidie diē exitûs tui expecta; & ad ingrediendum illud iter, te para; quâ enim hora minimè putas, veniet manda-*

Ps. 38. 5.

Mortis memoriam habentibꝰ deſipiunt temporalia. S. Greg: l. 7: mor: c. 14:

Incertitudo mortis eſt ad ſalutem noſtram. S. Athana: l. Quæſt. 2. 36

S. Greg: l. 12. mor: c. 20.

S. Ephr. Cōs: de vita Spir: ad monch: Nov: c. 15.

tum horribile: Et væ tunc imparatis. Scies certè facilè quid desit tibi, si id præstabis: dispones domui tuæ, dum cogitabis, cras te moriturum, vel hodie. Videbis quid agas villice iniquitatis, mox rationem villicationis tuæ redditurus.

3. Horrendum est istud apud Prophetam effatum: *Introibit usq; in progenies Patrum suorum, & usq; in æternum non videbit lumen.* Sunt, qui intrant in progeniem Patrum suorum. Alij intrant in hanc, qui longævam ætatem Parentum & Avorum suorum considerant, & parem illis se victuros sperant; alij verò sunt, qui progeniem Patrum ita mente ingrediuntur, ut eorum posteritatem ad se devolutam, longæ successionis seriei tradant; ideoq; de filijs ditandis, & ad honores evehendis, de filiabus in matrimonio conspicuo locandis, sunt soliciti; ac etiam de nepotibus conspiciendis, immò & pronepotibus, cogitant; ut stirpem suam non facilè eradicandam agnoscant, cum suo solatio; putantes, quòd & ipsi vitam ducturi sint longiorem, & longissimam in posteris habituri. En quam terribilia, talibus Propheta prædicit! *Introibit usq; in progenies Patrum suorum, & non videbit lumen.* O insipientissime mortalium! adverte, quid agas? quò collimes ingressu ejusmodi tuo in progenies Patrum? usq; in æternum non videbis lumen. Lux perpetua non lucebit tibi, sed damnaberis ad tenebras exteriores, qui lucem diutissimam expectasti. Falleris, qui tibi longævam ætatem polliceris, quasi ex lege & prœscriptione; eò, quod majores tui ad decrepitum senium annos produxerint suos. Seculo crescit quercus, subsistit alterô, tertiò putrescit; plurimos tamen

Ps. 48. 20.

Longævam vitam progenitorum nostrorum, vane nobis pollicemur.

men frutices, ex ejus ſemine natos reperies, qui e-xaruerunt, vix foliô explicatô. Pænè immortalis Cedrus dicitur: non unum tamen invenitur ex ea pullulans arbuſtum, quod nunquam excrevit in arborem, ſed vix è radice prodiit, interiit. Inter volatilia, plurimos annos, aſſeritur corvus vivere; plures tamen ejus pulli è nido non evolant, ante pennas extincti. Et tu æquaturum te dies progenitorum, credis? Ac dum ita introeundo in progenies Patrum, indulges licentiæ; & ante ſerò venturam mortẽ, te à nequitia primùm receſſurũ ſpondes: non videbis in æternũ lumen o infelix homo! Deus te in virili ætate, vel ante hanc, in florida adhuc tollet de numero viventium; & imparatũ ad felicem exitum inveniens, excludet te in perpetuum à viſione lucis beatificæ. Et tibi, qui ingreſſus es Patrum progeniem, ea mente ut hanc amplifices ſucceſſione non interrumpenda, quis ſponſor eſt tui intenti adimplendi? Legere & videre poteras non unam inclytam Proſapiam, & viris, & opibus conſpicuam, honoribus eminentem, intra paucorũ annorum ſpatium, ita exinanitam, ut veſtigia non niſi domus ampliſſimæ, in hiſtorijs proſtent, & in tenui aliquorum hæreant memoria. Interea, dum hæc vana ſpes tibi affulget, quod ſeriem familiæ extenſurus ſis per ſecula, immoderatè congerendis divitijs, poſſeſſionibus augendis, inhias. Introiviſti miſer in Progenies Patrum tuorum, & uſq; in œternum non videbis lumen. Dum iluſtrare domum ſtudes, felicitate temporanea, in œvum duratura, lumine cœleſti te privas, in perpetuum. O quot infernales tenebrœ involverunt! quia ſe & poſteros irradiare ſolicitè ſatagebant. Unum ex his inſe-

Longioris vitæ ſpes noxia.

Dum vivere in filijs & poſteris volunt Parentes, propter hos avidiq fortunas congerendo mortem ſibi æternam adſciſcunt.

infeliciſſimis, qui aliquando in Palatinatu Sandomirienſi noſtræ minoris Poloniæ, ex orco, ad terrorem & cautelam viventium prodierat, produco ad exemplum. Nobiliſſimæ vir erat familiæ (cujus nomini & famæ parcitur) duorum filiorum Pater, pro quibus ad amplificandum & illuſtrandum ſuum genus, dum anxiè, feſtinanter, & quandoq; non ſatis æquè opes colligit; in ipſo ejusmodi curarum æſtu, relictis cum conſorte natis minorennibus, terris eripitur, neutiquam ad tribunal Divinum paratus, & ad infernales damnatur tenebras. Vidua mæſta funus inſtruit; numeroſos myſtas è Clero, & Religioſis pro ferendo animæ ſubſidio, invitat ad Eccleſiam, tum ex hac (tumulo poſtquam datum corpus eſt) ad vicinam aulam ſuam, pro funebri epulo eosdem accit, cum numeroſa nobilitate ſexûs utriusq;. Et ecce, dum hoſpites menſæ aſſiſtunt, prodiens è ſepulchro recens cadaver, Aulæ & bonorum Dominus, in area ex oppoſito triclinii, comparet, ſpectante illum familiâ, dapes è culina efferente, & poſt advertente è feneſtris, ipſa conſorte & hoſpitibus; hinc exorta trepidatio varijq; ſenſus. Interea defunctus, ſub frondoſa tilia ſubſidens, vocari ad ſe jubet uxorem, cum filijs. Horret prodire in conſpectum mortui mulier, ſed à pijs & eruditis, è Clero, Religioſisq; ordinibus, qui aderant, admonita, ne paveret fruſtra, qui fortè piè credebant, quòd ad poſtulanda ulteriora ſuffragia maritus ſe conveniret; prodit in aſſiſtentia unius & alterius Sacerdotis, comitantibus ſe ſe filiolis. Poſtquàm ad defunctum ventum eſt, dum quispiam, è Sacerdotibus, ad illum verba parat, in nomine Redemptoris

Ianczynſki in hiſtoria Polona ſui ævi.

ris quæsiturus; quid vellet? in quo statu esset? hic conjectis horridè scintillantibus in filiolos oculis, vocem feraliter lacrymabilem, cum gemitu terribili expedit, mæstùm inclamans,· Ah me infelicissimum! qui propter vos, o filij! æternum perij! dum enim vos cùm ætatis incremento, opibus conspicuos reddere volebam, & fortunis crescere, ac id circo, avidiùs has coacervabam, me ipsum æternis tenebris involvi! Hæc, præ timore rigescentibus omnibus qui aderant, prolocutus, hiante terrâ, subito orco redditus; relicta superstitibus cautela salutari, ut hi sua perenni jactura meliùs sapiant; caveantq; propter illustrandas & exaltandas suas domos, opum curam, seposita hac de æternitate felici.

Legimus de Abrahamo, quod ille ex imperio Domini immolaturus suum unigenitum Isaacum; antequam ad sacrificium, ligna conciderit; & hæc parata, ad incendium hostiæ, secum tulerit: *Cùmq; incidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum, quem præceperat ei Deus.* Quærit Didacus Nissenus: *Cur ligna fert in montem? an non ibi, vel invicinia reperturus?* Et respondet docens. *Salubre consilium est, ut quisquis Christianus imitetur Abrahamum; suaq; omnia componat, ligna jam concisa deportans; & quæcunq; supremum illud vitæ tam periculosum tempus requirere potest.* Rectè sane instruimur, ut omnia parata & expedita, ad iter æternitatis ineundum habeamus; quæ nobis in extremo illo tempore præsto sint ad salutem & ad sacrificandum nos DEO per mortem, pro immensa æternitate. Nec dicas: firmæ sum satis valetudinis, solidarum virium, nulla vel levi ægritudine, aut cor-

Gen: 22. 3.

Vita Abrahæ t. II.

Ad mortem tempestiva sit præparatio.

corporis dispositione affectus; ut quid me ad mortem præparare cogor tam præpropere? sed adverte: num præsumptuosus ita sit navarchus aliquando; qui navigationis tranquillô, & prosperitate, decipi se sinat, ut dedignetur ceu inutilia impedimenta, alteras secum anchoras, funes, vela, rudentes ferre; præter ea quœ solúm ad iter quietum necessaria? Tale iter quidem ille sperare potest, sibiq; promittere; memor tamen quàm variabiles sunt ventorum flatus; quàm sœvum cùm irascitur mare: contra omne id, quod sibi posset inexpectati accidere; in terra, ubi potest, earum rerum apparatu se communit, quas ne quidquam in mari requiret, ubi indigentia quidem erit, non tamen auxilium. Hinc tu perpende; quod & si tranquilla diu valetudine, in cymba corporis tui deveharis ad portum æternitatis; non ideo paratis omnibus destitui debes ad te muniendum, si subitò tempestas ingruat, ne te hæc obrutum, navim corporis tui concutiens, & demergens fati violenti fluctibus, ad fundum inferni præcipitet. Ergo pro tanto inexpectato periculo, quòd quia plures invadit, cernis utiq;, expedire te esse paratissimum, & quidem accuratiùs, quàm providos navarchos. Nam hi omnia præstó habent; dum navigant pacato œquore, quibus se contra procellas tueantur si hæ exsurgant, ne sua carina laceretur vi ventorum, & fluctuum sævientium impetu. Tu veró ita providere tibi debes omnia, in navigatione tranquilla vitæ tuæ; non tam ut onerariam corporis salves, quàm ut hâc convulsa, & ad fundum terræ præcipitata, repentino lethalis tempestatis æstu, animam, ad portum æternitatis

feli-

felicis possis sistere, ad quem illa vehi debet; ne exclusa è cymba lacera, in præcipitium abyssi devolvatur, in æternum ex hoc non eruenda.

MONITUM III.

Experientiâ didici metum puerilem, esse consvetum superbis supplicium; & ad DEI justitiam pertinet; ut qui vanè & absq; ratione gloriatur, vanè, & absq; ratione formidet.

PRidem Pharisaica superbia probavit & deduxit hanc experientiam; qui timidâ invidia contra Salvatorem, cœlestis Sapientiæ fundentem oracula, & quotidiana patrantem prodigia, concitati, *quærentes eum tenere timuerunt turbas*. Non timent DEUM impii, dum manus contra innocentissimum Servatorem parant, & inauditum scelus Deicidii moliuntur; & ecce quàm vano & futili concutiuntur timore! Plebecula rudis, & fæx populi illos terret; & Omnipotentis vindicta impavidos reddit. Hoc est supplicium superbiæ, ut puerili metu cadat; ad Divini furoris impetum, contra se vibrandum, immota in suo crimine. Id etiam nunc experimur. Ordinarium enim est, tumidis mentibus, non formidare DEI judicia, nec gehennæ, ad se absorbendos apertæ, aspectu concuti; ad lingvas veró hominum se censurantium, contremiscere. Quot sunt! quos dum fastus in luxum dissolvit; ne quid huic desit, ad vanam & turpem jactantiam, I.

metu-

metuunt: quot ſunt! qui honoribus evecti, dum ſupra alios eminere cupiunt, timent, ne pares ſibi habeant! quot ſunt! qui dum pompam & magnificentiam ſuam oſtentare ſtudent; reformidant, ne in ſimili quiſpiam alius appareat, vel ne quid, ad ſuam majeſtatem decoremq; deſiderari, cenſeatur. Quot ſunt! qui nomen ſuum celebrari cupiunt, ad aliena elogia exhorreſcunt. O vaniſſimos & planè puеriles timores ſuperborum! Inveniri tales, etiam in Spiritualium & Religioſorum animis dolendum! Si concionator cum plauſu auditur, & frequentiâ cultiſſimi auditoris recreatur, pretio ſui eventus, mox pavet, ne quiſquam aſcendat Exedram, qui ſimiles vel majores plauſus referat. Si Profeſſor nodos Philoſophicos & Theologicos reſolvat, cum approbatione omnium eruditorum, dum ſe æſtimare incipit; ne deprœdicari ſimiliter mereatur alius Magiſter in Cathedra, anxius ille efficitur. Sunt, qui dum Præſidum erga ſe favores, & talentorum ſuorum promotiones, apud ſe ponderant; ne in pari ſint alii pretio, ſolicitudine torquentur. Pudeat religioſum animum, qui vanitates contempſit in ſeculo, metu talium vanitatum agitari in clauſtro. Sed ferunt hanc à Divina juſtitia pænam miſeri; ut dum vanè & ſine ratione gloriantur (nulla enim in illis ſunt talenta, niſi quæ ſint gratuita dona DEI, hujusq; mero beneficio tribui debent) vanè etiam, & ſine ratione formidant. Verificatur de illis dictum Pro-
Ps. 13. 5. phetæ: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

2. Refert Sacra hiſtoria quòd *cùm natus eſſet JE-*
Matth. 2. *SUS in Bethleem Juda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi venerunt Jeroſolymam, dicentes. Ubi eſt*

qui natus est Rex Judæorum. Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex turbatus est. Conturbatur hic Princeps? gaudere potiùs, & exultare debuerat ex tali nuntio, cùm ille natus, esset, qui erat expectatio gentium, & promissus Abrahæ Patri, & tot seculis desideratus ad salutem humani generis. Sed compressit in Herode summorum gaudiorum materiam, inanis metus. Timuit enim Rex superbus, vanè & futiliter; ne sibi à nato Rege eriperetur regale fastigium; ille enim descendit in terras, non ut solium occupet, cujus Regnum non est de hoc mũdo, sed ut animabus præsit, earũmq; Dux sit, ad Regnum æternum. Hoc utiquè de illo legerat in Prophetis idem in templo prædicari & occini audierat; ne minimè tamen gaudet, dum natum Salvatorem mundi intelligit; sed totus est conturbatus, solo nomine Regis infanti DEO attributo, licet temporalis Regni thronum neutiquam affectanti immò repudianti & despicienti. Dum tumidâ mente Regis Judæorum titulum in se perpendit, hôc natum infantem insigniri, fert acerbissimè; & timet alium Regem in nomine, etsi non usurpaturus esset, de temporanea ejus potestate. O vanum! o sanè puerilem metum tanti Monarchæ! superbia, quæ ipsum inflaverat, tam inani timore prostravit. Vanè & sinè ratione gloriabatur in fastigio; vanè etiam & sine ratione reformidat. Ita inanes mètus etiam nunc invenies. Plures suspice, quibus suspiciosa nomina donata alijs, horrori sunt, etsi nihil honoris & famæ illorum detrahatur per ea. Illi qui publica Reipublicæ munia tractant, ac in his fastu tument; si

Laudibꝰ aliorum aliqui conturbantur

D Sena-

Senatoris optimi & dignissimi, Herois insignis, consiliarij prudentissimi, Regi & Patriæ fidelissimi, nomen cuiquam adscribatur, conturbantur vehementiùs, futiliter timentes, ne per encomia illa, suis in Republica muneribus & gestis aliquid decedat, etsi ne modicè illis tangantur. Etiam ad Religiosa pectora ejusmodi inconsultus pavor, quandoq; penetrat. Hinc advertimus aliquos Ecclesiasticos & Scholasticos oratores, eximii Oratoris panegyri auditâ, datâ alteri, vultu deijci, & pallere; Magistros scientiarum ad nomen insigne scientiæ alienæ, frontem contrahere; hos, qui claustra gubernant, famâ regiminis alieni, ad formam instituti, & leges paternæ charitatis compositi, acrius percelli: etsi horum elogium, nullatenus, illorum facundiam, sapientiam, præfecturam lædat: Sed reflectant se tales; quàm vano metu fluctuent, & affligantur. Pæna hæc est superbiæ illorum, & inanis jactantiæ. Permittit hoc supplicium DEUS, *ut servo DEI, cui subrepsit superbia continuò insit invidia. Non potest superbus esse non invidus, cùm invidia sit filia superbiæ; sed ista Mater, nescit esse sterilis.* O partum execrabilem! qui humana corda dirè excruciat, dum superbia, obstetricante metu vanò, invidiam prolem nefariam, nequam Parens gignit. Invidia enim juxta S. Gregorium Nyssenum, *est mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum figens animam clavis, flamma cordis, intestinorum ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est.* Ast hoc meritò agitur cùm superbia, quod se ita cruciet ministeriô vani metûs, per

S. August. ser. 5. de verb Dom. c. 5. Superbus invidus.

l. de vita Mon.

per invidiam. Cætera peccata in futurum punienda servantur; superbia, ob magnitudinem sceleris, etiam in præsenti, per aliud nefas, supplicium sustinet.

Formido & laqueus, facta est nobis vaticinatio. 3.
Est unum hoc ex lamentis apud Jeremiam. O certè lamentationem ejusmodi super se merentur, & in eam ipsi prorumpere deberent, qui elati præsumptione de suo genere, vel de dotibus, talentis & meritis, summa quæquè sibi vaticinantur ac promittunt! Reperire est seculares non paucos, qui concepta de se fastuosa opinione, vaticinantur sibi alij Prœlaturas conspicuas, infulas sublimes, alij honores in Regno præcipuos, scipionum, clavarum ducalium, sigillorum, aut primarum in Senatu curulium; alij verò in suo Palatinatu officiorum eminentium. Hi omnes certè incidunt in formidinem, & laqueum superbiæ. Quoties enim vacare debet, vel jam vacat subsellium aliquod, quô se dignos autumant, toties metu concutiuntur, vel levi rumore perculsi de concurrente ad illud eo, qui favores novit captare, & hinc illaqueantur curis & solicitudinibus anxijs & turbulentis, mæstè pavidi. Confirmantq; luculenter experientiam: *metum puerilem esse consvetum superbis supplicium*; nam coloratis honorum bonis illecti, veluti puerilibus crepundijs nugarũ, verentur, ne alteri, & non sibi ea cedant: pertinetq; id ad DEI justitiam, ut taliter puniantur; nempe, *ut qui vanè de se & absq; ratione gloriantur, vane & absq; ratione formident.*

Thren. 3. 47.

Ambitio invidiam gignit, & turbat animum

Etiam in Religiosis cætibus Vates reperiuntur ejusmodi. Contingit enim ùt Religiosus quispiam de

se ipso sublimem sensum concipiat, & persæpe, si non ordinariè, se majorem; hinc vaticinatur sibi supremas in ordine suo Cathedras Philosophicas, & Theologicas, vel præcipuas Sacras exedras, aut etiam conspicuos magistratus & Prœfecturas; & inde violentus timor in eum irruit, quô afflictam ducit vitam, metuens, ne forte spe & voto cadat tumidô; prœcipuè autem ante ordinationem Personarum à Prœsidibus Provinciæ faciendam, vel electione imminente (juxta morem & legem aliarum à nostra Religionum) ne alius promoveatur, vel eligatur, se neglecto. Comprobant & hi Religiosi experientiam: *metum puerilem, esse superbis consvetum supplicium;* nam planè pueriliter (licet in obsequio Divino adulti qui solidæ virtuti, & soli gloriæ Divinæ studere deberent; nihilominus suam vanitatem, & futilem sui ostentationem in munijs religiosis sectantur) pueriliter inquam ad officia speciosa feruntur; pertinetq; ad DEI justitiam in ipsis exercendam; ut, *qui vanè, & absq; ratione, de se gloriantur; vanè & absq; ratione formident.*

4. Fortissimus Machabœorum Dux Judas, dum cum decem millibus tantùm suorum militum, descenderat ad prœlium, validissimo occursurus Lysiæ exercitûs sexaginta millia recensenti, ita ante conflictum, Dominum exorabat: *Da illis formidinem, & tabesac audaciam virtutis eorum, & commoveantur contritione sua.* Quæ hic Dux pientissimus, petit & impetrat hostibus suis infligi, his Divina Nemesis, superbos solet affligere. Sunt, qui tumido fastu ita eriguntur; ut se opponant alijs, pugnent iniquis odijs, iniurioso insultu in famam, hono-

1. Mach. 4. 32.

rem

rem, vitam, ex eò ſolùm quòd ſe ab ijs ita appretiari, taliq; reverentià ac honore donari, non advertunt, qualem ſibi deberi, ſuâ inflatâ mente credunt. Sed æquiſſimus DEUS Judex, faſtuoſum ſcelus protinus plectit; dum ſuperbiœ intolerabili immittit formidinem, quâ tabeſcit audacia virtutis eorum, de ſe nimium prœſumens; & commoventur contritione pavoris, qui eos confundendo, & deprimendo, atterit. Fit enim ut tumor illorum quô aſſurgunt ſupra alios, & contra alios, timore coram iisdem concidat. Evenerat ſuperbiſſimo Goliæ; mole carnis ſuæ turrita, evectâ ſupra exercitum totum Jſraeliticum, ſed magis ſuperbo animo, ſuam fortitudinem, plurimorū millium militi prœferente: quia dum ſe ita extolleret, á puero etiam Davide, annis imbecilli, nec milite adhuc vel gregario; ſed humili paſtorida proſterneretur, nec baliſtis percuſſus, aut arietibùs quaſſatus, verùm exiguô lapillo dejectus caderet exanimis. Simile quid evenire ſolet, contra alios faſtu, & arrogantiâ tumentibus. Nam dum ferociter, & vanè tument; vane & pueriliter timent: Tales enim ſæpe, verba levia aliorum, in ſuum deſpectum vibrari autumant, & tanquam, reboantium tormentorum jacula, exhorreſcunt, ad quæ proinde propulſanda, rigidum ſuæ ſuperbiæ opponunt robur, fulmina verborum explodendo, contra verbuli unius, modicè vel nullatenus læſivi, lenem ſonum. Iſtos etiam umbra tantùm violati ſui honoris, ita conſternat, ut à ſpectris & monſtris illum invadi putent. Iidem quoq;, ſi primos accubitus in aliquo conſeſſu non obtineant, quos ſibi debitos ſua arrogantia judicat

dicat, multò magis, si dignitate plures non præcedant; ac si regale solium sibi eriperetur, ita conturbantur: feruntq; miseri hoc acre supplicium ob suam superbiam; ut *dum vanè & sine ratione gloriantur, vanè, & absq; ratione formident.*

5. Concludo explanationem moniti, historiâ religiosâ quæ in sua revolutione inexpectatâ, insolitâ, & infelici, horrenda est sanè. Frater Justinus qui opulento Baronatu & Regis Hungariæ favoribus spretis, institutum Minorum suscepit; contemplationi deditus initiò, sæpè ecstases patiebatur & raptus: sui Institutoris vestigia, & Sanctorum limina veneratus, venit in Italiam, ac demum in Urbe substitit. In Conventu Aræ Cœli, qui nuper ad Observantes translatus fuerat, dum quodam die, pro more, inter prandendum pia Sanctorum gesta legerentur, extra sè raptus, diu immobilis, & veluti exanimis mansit, in altum corpore elatus, è regione cujusdam imaginis Beatæ Virginis, supra Fratrum capita depictæ, ubi retractis cruribus in modum genu flexi, in àère pependit. Aderat tunc S. Joannes Capistranus Ordinis Vicarius, qui dimissis Fratribus in templum, ut gratias agerent secundùm consvetudinem, solus cum socio remansit, finem exploraturus. Post longam moram, omnia se benè habere, & ex signis placidæ mentis, sereni vultûs, hilaritate animi, alijsq; notis alienum hoc esse à vanitate & præstigijs agnovit. His auditis Eugenius Pôtifex, hominem accersit, ac pedes osculari volentē, ulnis suscepit, & osculô, jussitq; prope sedere. Ad longum dein tempus protractô sermone, munuscula addidit, & indulgentias. Inde factus altior Justinus, domum regressus, alter ab illo qui egressus erat, occur-

Nadasi in Anno Amoris Dei, Mense 7mo C. 31 n. 1237. Ex Pensequino in Isagoge.

occurrit Capistrano, eoq; corporis habitu & vanitate cœpit jactare Pontificis in se benevolentiam, ut quem ante per revelationem acceperat, ejus casum, nunc experiretur. Igitur, ingemiscens, ait: Heu Fratercule, itane honores te mutarunt! Angelus abijsti, diabolus redijsti, resipisce &c. At ille insolentior quotidie factus, omnes alios habuit contemptui. Jussus est ergo in Hungariam redire: non longè aberat ab urbe, quando ad fontem sedens, & manducans cum socijs, prius petulanti verbô, dein cultro unum sauciavit. Retractus ad Capistranum, & conjectus est in carcerem; deinde post aliquot tempus expletâ pœnitentiâ aufugit ad regnum Neapolitanum; ubi ea perpetravit, ob quæ iterum relegatus est in urbem, & in vinculis miserè decessit. Ex hac dolenda historia, veritatem moniti, sic eruo. Infelix hic Frater Justinus, depositâ Sanctimoniâ, in superbiam subitò elatus, vanè certè gloriabatur Pontificis erga se favore, & exhibitâ sibi reverentiâ, uti est manifestum; permisitq; statim Divina justitia in eum Sanctitatis continuandæ, & perfectionis religiosœ prosequendæ, formidinem; quœ ipsi non tantum terribilis non erat, antequam tumeret, verùm svavissima delicijsq; cœlestibus fruebatur, dum in rigore Sanctimoniœ, & arctiori viveret observantia; mox horrere cœpit vitam priorem, ejusq; severiorem methodum, postquam afflaverat ipsum sua arrogantia. O quam vanè! o quàm futiliter! o quàm stolidè. Laxatis itaq; licentiæ frenis, non solùm religiosœ virtutis vel tenuem normam, sed etiam Christianœ rudia lineamenta verebatur, & repudiabat, in enormia facinora propendens, & se
faci-

facile resolvens; tulitq; miser supplicium superbis infligi solitum; ut qui vanè, & absq; ratione gloriabatur gratiâ erga se Pontificis, & hanc pueriliter jactabat; vanè, & absq; ratione religiosam, imò & Christianam probitatem pertimesceret. Utinam similes huic fratri Justino non recenserent Religiosa claustra! sed recensent interdum. Reperiuntur enim in illis aliqui, qui favores Principum experti, reverentiâ & amore virorum insignium donati, ob suam eruditionem, vel in dicendo facundiam, vel vitæ religiosæ modestiam affabilem; mox in alios mutantur, vanis hominum favoribus tument, quos jactant in claustro, & ex iis se æstimantes, alios despiciunt, timentq; pristinam observantiam. Agere cum fratribus dedignantur in humili charitate; sed si eos alloqui necessitas exigit, fastu sermonẽ implent. Deterrentur à psalmodia in choro, gratiæ apud fautores suos magnates diminutione perterriti, si negotia eorum propter Chorum intermitterent. Ab oratione quotidiana, ob eundem inanem metum alienantur. Rumusculis aularum captandis & divulgandis occupantur, exempla Sanctorum, quæ si sibi innotescerent, ad fervorem spiritus tepescentis, se possent animare, tanquam quid tetrum respuentes. Victum pauperem in triclinio fastidiunt, abhorrendo à ciborum parsimonia, & non opiparis condimentis. Paupertatem religiosam quam antea ut matrem dilexerant, abominantur, ejusq; effectûs tanquam sordes, & inquinamenta horrori habent. Angustias cubiculi execrantur, ac in eo hærere metuunt, quotidiani in conclavibus Magnatum, quorum alloquio vano & inutili multas horas impen-

Religiosi favoribus erga se secularium elati, vivunt laxiùs.

pendunt. Claustri arctiorem custodiam pavent, proinde sæpius evolant extra illud, confictis rationibus, veniam abeundi importunè evincentes, circumvolantq; palatia & aulas, ubiq; vani & tumidi, ubiq; genio secularium accommodati; ubiq; ordinis sui opprobria; dum ea agunt, & loquuntur, quœ statum suum conspurcant. A subjectione Prœsidibus, alieni, regiq; suo arbitriô & Procerùm imperijs volunt, quorum nutus vel minimos, accuratè & serviliter observant. Verificatur certè de illis effatum sapientis. *Vani sunt homines, in quibus non subest scientia DEI.* Nam hâc non sunt exculti, etsi pro sapientibus ab hominibus reputentur: quia insigne stultitiœ, vel ex ore eorum propendet, juxta illud. *In ore stulti virga superbiæ; provocantesq̃ Dominum DEUM in vanitatibus suis.* Consvetum superbis supplicium ab eo referunt, nempe, metum planè puerilem patiuntur religiosœ vitœ exactœ, & ad leges sui Instituti compositœ, gratijs humanis & favoribus ab hac deterriti, ut dum vanè, & absq; ratione gloriantur in suis vanitatibus, vanè & sine ratione formident religiosum vitœ tenorem. Absint, ah absint! (precemur cum lacrymis Dominum) superba à cordibus nostris studia, absit appetitꝰ inanis excellentiæ. Non vigeat in nobis jactantia nobilitatis, doctrinœ, aliorumq; talentorum &c.&c. Ex his enim, tetrica, insipida, adeoq; amara & terribilis redditur vita religiosà, vaneq; & absq; ratione timetur. Etsi DEI misericordia, illos infelices superbiœ partus non permittet in nobis crescere, nosq;, hos cum ejus auxilio, dum eos ex plausibus humanis ac favoribus nasci advertemus in no-

Sap: 13. 1.

Prover. 14. 3.
3. Reg: 16. 13.

bis, elidemus statim, & infaustam parentem illorum suffocabimus; procedemus in obsequio Divino ad vitæ consummationem sine horrore,& sine latentibus in hoc, ex eoq; promanantibus; nausea & tædio: sed cum summo gaudio, & tranquilla mentis malacia.

MONITUM IV.

Proposita tua ne differas exequi: si enim id quod potes, non præstas modò, fiet, ut in dies possis minus.

I. ACcedens ad Salvatorem unus scribarum ait illi: *Magister sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei JESUS: vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Quâ ille denuntiatione consternatus, à vestigijs resiliit Præceptoris, nec amplius ad hunc rediit. Sic amator degenerat in transfugam, non rediturus unquam ad amatum Dominum, quem cum fervore sequi decreverat. Fit certè non raro, ut aliqui conversionem sui ad DEUM firmiter statuant, sed dum per talia proposita ad illum accedere videntur, recedant ab eo, adhæsione illi dilatâ in aliud tempus, ac nunquam post modum ad eum accedunt. Plura sunt hujus rei exempla, duo insinuo. Dyonisius Carthusianus de quodam defuncto scribit illum ex Divina dispensatione alteri apparentem,ad nostram eruditionem in memorabilia hæc prorupisse verba: *O cras! cras! quàm longam mihi*

Math: 8.20.

Accedunt aliqui ad Deum per proposita, sed mox ab eo recedunt non accessuri amplius ad eum.

In spec: de amat: mundi Procrastinatio restis ad infernum. Disc: 6. n. 5.

hi restim fecisti & in barathrum mortis me procrastinando traxisti. Mansi etiam refert factum, quod immediatè prœcedenti sæculo contigit. Quidam Marchio Parisijs, dum se interiùs ad SOCIETATEM JESU amplectendam moveri sentiret, jamq; omnino hanc vocationem exequi reipsa decrevisset; mundum tamen deserere vix valens, propisitum hoc exequi de die in diem procrastinavit: quid tandem ei acciderit, audiamus. Infelix, turpi se, dum præceps in mortem currit, vitæ, vitiorumq; captivum dedit servituti; quia verò vocanti DEO januam clauserat, ædium quoq; suarum (ne religiosorum hominum voces monitaq; illuc penetrarent) militari custodiâ adhibitâ, fores clausit, illud imprimis sibi mandans, ne ullum è SOCIETATE JESU hominem, qui se alloqui vellet, intus admitterent. Quoniam verò *non est sapientia, non est prudentia contra DEUM;* hominumq; cogitationes, Altissimus salutis cupidus, non secus ac manifestè deliras, è Cœlo respicit, subsannatq; : dum miser, à negotijs socijsq; liber atq; expeditus, solus per diem in remotiori cubiculo manet, en tibi duo dictœ Religionis viri, in cubiculum extempló intrant, hominem amicè salutant; qui ab eo perhumaniter, etsi per simulationem excepti, ubi divinis de rebus cum ipso verba fecêre, nonulla in rem salubriter adijcientes monita, eô loco jam recessuri, hæc addiderunt: Tuæ iam tuæ, negotium animæ, dum per tempus vacat, serio post hac constanter agita, neq; ad DEI voces infelix adeo obsurdescas; quibus dictis ab ejus oculis se statim proripiunt. Vir interim cui inexpectatus adeo, inopinatusq; Religiosorum ad-

 ventus

ventus ac sermo item de Cœlestibus parum grat9 fuit, militem, quem suis custodiendis œdibus præfixerat, ad se vocatum, acerbis verbis increpat, in cusatq; quòd in sui conspectû illos admiserit. Obstupuit miles, utpote sibi de re fideliter gesta conscius, adeoq; quidquid herus amarulentô animo dixit, ne dum ægrè tulit, sed & somnium aut fabulam credidit, id unum pro omnimoda sui excusatione afferens, quod ab ostio domûs, ne latum quidem ungvem recesserit & quód Religiosos, quos ille meminerat, non vidisset, jurejurando affirmans. Dominus veró rem totam mendaico confici, & se à famulo decipi arbitratus, quantocyus ad SOCIETATIS JESU Collegium hominem mittit, num aliqui ex Patribus inde venissent, exploraturus. Certior eorundem Patrum testimoniò redditus, ad se eo loco neminem divertisse; haud quidquam visô admonitus, & proficiens, parumq; salutis providus, omnem prorsus unà cum verbis ab animo sui curam, & à corde metum excussit, adeo, ut anteactorum oblitus, domô egressus, curru per urbem recreandi animi causâ excurreret: At suis miser impendentem cervicibus quem admonitus prœcavere noluit, ultionis gladium intellexit. Armatos quippe casu per viam offendit, qui districtis irruentes gladijs, hominem confecêre. Unico namq; ictu, is, cui propria parum cordi salus fuerat, in corde percussus, nullo Sacramentorum remedio relevatus, & absq; ulla salutis spe, illico humi exanimis cecidit; sic qui proposita DEO soli serviendi neglexit, & pulsanti ostium cordis pertinacissimé clausit, è Cælo demum & DEI regno exclus9, uti

Vocationi ad Religionem resistentes, timeant perditionem sui æternam.

uti perditus, in exteriores tenebras projectus est. Secuti sumus vocantem Dominum, qui religiosum statum, per ejus gratiam profitemur, sed non unum ex nobis ad perfectiùs se sequendum, idem Dominus per suas inspirationes ac instinctus invitat, quibus impulsi, formamus in meditationibus, præsertim verò in exercitijs spiritualibus proposita ad sequelam Christi exactiorem imitationemq; ejus accuratam. Sed qui hæc differunt implere, implent nunquam, hærentq; in sua tepiditate cum periculo fugæ à Domino, per abjectam vocationem, vel si in hac perseverant, moriuntur in suis imperfectionib9 elongati à DEO, & non statim in felici æternitate illi conjungendi, ut pote in purgatorij flammis detinendi diutius, vel etiam in statu religioso positi, ita ab illo recedunt per lapsum in graves noxas, ob negligentiam propositorum permissas, ùt in æternum cum illo vivere nequeant.

Proposita nō servantes periculū amittendæ vocationis incurrunt, vel aliquorū malorum.

2.

Ps. 8. 18.

Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula. Et cibavit eos adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos, ait Regius Propheta. Mel eos convertit in fel. Quomodo mentiti inter mella! Si infulis cingar, volo exemplar Pastorum esse. Infulas capit: mox ut Pastor factus est, lupus fit; oves non pascit, sed depascitur. Nundinator clamat in corde suo: si tantûm auri cògero, quantùm sit locandis in matrimonio filiabus, subducam in portum non minus mentem, quàm navim, qui toties inter fluctus tantùm non perii. Onustus aurô, coronas sitire incipit. Qui militat, supplicat DEO exercituum, ut sibi arcem tradat, militaturus sub inde non gloriæ sed Evangelio. Expugnat urbem,

Proponuntur plura à nobis ut desiderij fiamq compotes, quæ assecuti intentum non implemus.

Pro-

Provinciis aſpirat occupandis, & perſæpe laurus quâ victor coronatur, degenerat in myrtum quam amplexetur, ideo Paris, quia Achilles. Non unus etiam, ſi è morbo convaleſcat, & ſtatuit, & jurat, abdicaturum ſecures, & ſpretâ aula, unum æternitatis diadema expetendum ſibi proponit. Vix fit incolumis, quum à lecto ad thronum transfugit, ambitionis novis & majoribus febribus exagitandus. Quot Religioſi, ſi ſapientiâ imbui poſſent, eam in animarum ſalutem ſe expenſuros affirmârunt, domiq; ſe futuros omnibus exemplar edixerunt. Vix aliqui ex illis aut Homerum explicârunt, aut Tullium prælegerunt, aut Ariſtotelem ſunt interpretati; cùm eos videas in Olympum montem converſos, nullius nebulæ aut auræ patiẽtes, una undiq; & ubiq; inſcriptos teſſerâ. *Noli me tangere.* Hoccine fuit erudiri in exemplum humilitatis & Crucis? *Inimici ejus mentiti ſunt ei.* Melle ſaturati, quòd in irritamentum ſuæ cupiditatis, vertant illius liberalitatẽ. Manebunt miſeri in ſua ſocordia procraſtinante impletionem propoſitorum, nunquam ad hanc perventuri; & erit tempus eorum in ſecula; tempus enim inquam illorum futurum, nunquam futurum, quod ad executionem ſuorum Sancitorum differunt de die ad diem, vacuum opere ſtatutô manebit in ſecula.

3\. *Apoc: 7. 9.* *Incõſtantia noſtra in ſervandis propoſitis.* Vidit Joannes turbam magnam, *Stantes ante thronum & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Hæc quatuor de Beatis, à Joanne ſcripta expendamus. Non enim fervent, ut nos, modò verò frigent: modò mundum calcant, modò mirantur, modò læti, modò triſtes; verùm fir-

mati

mati & radicati in virtute sua, in hac immobiles permanent. Hoc enim inde eis provenit; quód Deo adſunt: *ſtantes* ſed *ante thronum.* Nos á throno abſumus, & ideo non ſtamus. De noſtra inconſtantia illud Senecæ uſurpari poteſt: *Momento mare vertitur, & eodem die; ubi luſerunt navigia, ſorbentur.* Qui è matutina meditatione ſurgit Giganti par, veſpere Pygmæum induit. *Quaſi flos egreditur & conteritur, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Quavis ſtipulâ alludimur; hoc autem fit quód DEO non adſumus, qui in orationibus noſtris inſpirat nobis propoſita, & ad ea formanda impulſu interno nos commovet, dum ad hæc ſeriæ executioni mandanda nos non urgemus obſtante noſtra deſidiâ, adeoq; in eodem ſtatu teporis ſemper vivimus miſeri. *Epiſt: ad Lucil.* *Iob.14.2.*

4. *Tenui eum, nec dimittam;* clamat Sponſa. Vox iſta Conceptœ Virginis prima eſt. Ita enim DEUM amplexa eſt, ut illum nunquam dimiſerit. Ideo autem quem tenuit non dimiſit, quia mente primùm, tum corde amplexa. Vœ nobis, qui toties DEUM amplexamur per propoſita, ex fervore affectuum concepta, & mox DEUM dimittimus per eadem non obſervata. Dicit enim de nobis Dominus: *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum.* Dum enim deſideria noſtra, quæ Dominus nobis infudit non implebimus, ſequemur deſideria pravi cordis noſtri, ſemper vagi per eadem, & nunquam ad terminum felicem, ad quem per propoſita trahebamur, perventuri. Ne ergo tam miſera ſors eveniat nobis, ſapientiſſimo monito pareamus. *Propoſita tua ne differas exequi; ſi enim quod potes non præ-* *Cant: 3. 4.* *Ps: 80.13.*

ſtas

stas modò, fiet, ut indies possis minus Moveat nos ad id etiam monitum Divi Antonii, à viliori sed energica similitudine, ex Sancto Bernardo desumpta: *Magna fatuitas ostenditur* (ait ille) *non facere diligentiam pro anima, quam facis pro caliga:* Unde Bernardus. O *nimia insania hominum? pudet sordes abstergere, scilicet per confessionem, & non pudet contrahere; abstergitur caliga, scilicet á luto, & contemnitur anima; & manifestum est, quòd non solùm in capite anni abstergatur caliga á luto, sed quasi quotidie, ne corrodatur á luto.* Ego autem addo: pudet nos, ob respectus humanos, proposita de emendandis defectibus, in arcano cum DEO colloquio expressa, adimplere; magna certè hæc fatuitas est, vilissimum vestimentum dum vis á luto mundum, facis sine dilatione: inquinasti animam defectibus, & cur, dum vis, ut ab eis emundetur, sine mora eam non emundas? Time, ne sicut aliud vestimentum non protinus abstersum, corroditur à luto, ita tua anima arrodatur defectibus, fiatq; in posterum emundationis impatiens, aut incapax:

S. Antonij

Dilatio in executione propositorum ignava & noxia.

5. Ah utinam propositorum nostrorum acta, collecta ex exercicijs, & quotidianis meditationibus, non sint similia, quibusdam comitijs Provincialibus, de quibus meminit Drexelius. In his enim varia fiebat consultatio, pleraq; bono publico proponebantur proficua, sed nulla fuit conclusio & executio. Quod homo faceti ingenij observans, chartam puram sine scriptura, in literarum formam convolvit, & fronti hoc unum inscripsit. *Comitiorum acta.* Nostra proposita comitiorum quædam acta sunt; de multis enim ad salutem & perfectionem requisitis intra

Proposita sine effectu nil valent.

intra nos consultamus: sed dum nihil ex ijs ad praxim reducimus, illa acta, merum nihil continebunt, præter titulum, eruntq; semper merum nihil. Utinam etiam non imitentur proposita nostra, sancita comitiorum Regni nostri liberi, quæ per liberum veto, felicem non habent exitum, utilissimaq; licet & saluti Reipublicæ proficua, in illis statuantur, nihil valoris obtinebunt. Contigerat, mea in Religione ætate, Regnante Joanne XIII, ut Varsaviæ in Generalibus Comitijs Regni protractis ad octo decim usq; septimanas, plurima decernerentur, quæ ad integritatem Patriæ omnino congrua censebantur; & ecce, dum illud tempus elabitur, libera unius Nuntij Terrestris vox, terminari comitia non permisit, ut in his fieret desiderata à plurimis æquè sentientibus, amantibusq; bonum commune, sancitorum conclusio. Quæ gravissima detrimenta tanti temporis, tot sumptuum, cùm impedimento emolumenti Regni, volens proscindere Satyricus comicotragœda, produxit in scenam exterum hominem, ea, quæ fama publica, per postiliones, ex varijs mundi partibus attulerat, recitantem, dumq; devenisset ad narrationem actorum in Polonia, assumit in folio volumen, ac huic magnificum titulum præfixum legit, trabalibus literis expressum *Comitia Generalia Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lituaniæ, Varsaviæ celebrata, per octodecim hebdomadas*; lectoq; illo cum Majestate oris auditori, dum hic sperat maiestuosæ inscriptioni rem responsuram, attonitumq; eum facit, curiositas ad avidè audiendum. Et ecce ille vertens paginam, vacuam scripturâ ostendit, dicens; *hic nihil est*; tum

vertit secundam, tertiam, quartam, & demùm singulas totius voluminis, post singulas versiones repetens: *& hic nihil est, & hic nihil est*: dumq; ultimam paginam revolvit, tandem ait: *deniq; nihil est totum.* Supra nostra oratoria ad quæ Exercitiorum meditationes, & quotidianas absolvimus, inscriptio magnifica poni posset, in hæc verba *Sancita animæ Religiosæ, cum DEO, de salute & perfectione sua consultantis.* Ast si reviderentur actiones nostræ, spatiaq; temporis in Religione per plures annos traducti; fortè vacua invenirentur executione propositorum; diceretúrq; meritò & verè: *& in hac actione, & hac die, nihil est, tum etiam in actione alia & alia nihil,* & ultra in alijs actionibus totoq; vitæ tempore; *nihil nihil;* metuendum profectò, ne de ultima etiam vitæ & actionum veluti pagina quadam, dicatur, quod *in hac nihil fit,* formeturq; infelix & ignominiosa nobis pro tota æternitate conclusio: *Deniq; totum merum nihil est:*

MONITUM V.

Accipe quæ dulcia sunt hujus vitæ pro amaris; amara pro dulcibus, & summa pace frueris.

I. PAx animi & tranquilla malacia mentis, felicem sanè in terris vitam reddit. Nam *inter omnia bona temporalia, quàm æterna. pax obtinet principatum; sine qua nulla potest esse vita beata: & quâ perfectè habita, beata est anima. Unde Augustinus ait: quòd nihil aliud est in vita beata, quàm*

S. Bonaven: ser: 33. Pax beatam vitam reddit

quàm pax æterna. Tantum est bonum pacis, quòd eam Dominus commendaverit, naſcendo, prædicando, & reſurgendo. In quo autem ſita ſit pax noſtra, deſcribit idem Divus Auguſtinus: *Pax corporis est ordinata temperatura partium: pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum: pax animœ rationalis, ordinata cognitionis actionisq; conſenſio; pax corporis & animæ, ordinata vita & ſalus animantis: pax hominis mortalis & DEI immortalis, ordinata in fide ſub æterna lege obedientia, Pax hominum, ordinata concordia: Pax Cæleſtis civitatis, ordinatiſſima & concordiſſima Societas fruendi DEO, & invicem in DEO. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis, cuſtodienda* autem *præ omnibus virtutibus pax.* (*ut monet Divus Chryſoſtomus*) *quoniam DEUS in pace eſt.* Hanc verò pacem ut cuſtodiamus, eâq; fruamur, non ducamusq; vitam inquietam & turbulentam, ſed angoribus moleſtis, anxiis ſolicitudinibus, mæſto curarum tumultu vacuam, duo nobis curanda; nempe, ut dulcia hujus vitæ pro amaris, & amara pro dulcibus reputem9: Hæc enim pace deſtituunt animum, & conturbant mentem, quòd dulcia pro dulcibus cenſeantur, & amara pro amaris. Proinde in dulcedine quavis temporanea amaritudines, in amaritudine autem dulcedinem advertamus & agnoſcamus priùs; ut dulcia pro amaris, & amara pro dulcibus poſſimus reputare. Id ut à nobis præſtari poſſit, Sacra ſcriptura, Sancti Patres & ratio nos illuminet.

S. Aug: de Civ: l. 19. c. 13

Pax in quo conſiſtat?

S. Chryſol: Solil 5. 53.

2\. Sapiens ait, quòd felicitas, adeoq; dulcedo hujus vitæ ſit *Panis mendacij. Itaq; felicitas tempora-* *Prover. 20. 17*

lis panem se esse mentitur, cùm non sit, sed siliquæ porcorum: quæ non sanant sed inflant. Jeremias de se loquitur: *Diem hominis non desideravi.* Supra quod D. Gregorius differit. *Quasi dies quædam est, dum mundi hujus prosperitas arridet. Sed dies iste in noctem desinit, quia temporalis prosperitas, ad tribulationis tenebras perducit.* S. verò Vincentius Ferreriensis inquit. *Creaturæ, seu beatitudo temporalis, sunt olla fervens, cui si quis nimium adhærescit per amorem, timeat ne se comburat.* Ad hæc felicitas temporanea, quandam speciem refert fumi. Primò fumus domos denigrat; ita prosperitas multis peccatis deformat. Secundò fumus non diu durat, citò ascendit, & deficit: sic & prosperitas hominum juxta illud: *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* Tertiò oculos lædit: pariter prosperitas excœcat oculos mentis; ut hæc non consideret, neq; videat quæ sit meta faventis sortis. Poteft item nostra in terris prosperitas assimilari fabæ, quæ humorem grossum & inflationem gignit, stomachum inficit, crassum sanguinem generat, fumum causat, qui caput offendit, & somnia tristia reddit: sic prosperitas inducit inflationem superbiæ, voracitatem gulæ, noxiam stomacho; fumô vanæ gloriæ caput, id est mentem replet, gignit terribilia somnia, ut frequenter timeant, qui in prosperitate sunt, quæ non sunt timenda, sicut somniantibus accidit. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Poteft tandem prosperitas hujus vitæ comparari lignis, quæ cæduntur in plenilunio vel plantantur, quia tunc in illis humor abundat, uti & in aliis corporibus; proinde corrumpuntur & generant vermes, à quibus corroduntur. Humor enim talis

Hugo Card. hic.
Ierem: 17.16
Felicitatis temporaneæ dulcedo amara.
S. Vinc: Fer: ser. de Conv: S. Pauli.
Ps. 36. 20.
Ps: 36. 20.

talis in prosperitate invenitur, qui vitiorum vermes gignit. Ideo virum á seculo remotum optimè monet B. Petrus Damiani. *Noli hujus vitæ felicitatem hominibus invidere; sed condole: immo quia ipsi non dolent, potiùs ingemisce:* Monet etiam quemlibet Religiosum Oliva: *Non dubites deesse mundo procellas post iridem. Adi Ægyptum, & videbis post vaccas obesas, emergere macilentas de fluvio, á quibus pingves devoratæ sunt. Adi Assyriam & spectabis pendulum á trabe Amanum, quem suspexeras secundum á Rege in solio; spectabis Vasthim exclusam ejectamq; é thalamo. Peregrinare cum Absalom, quem Israel universus deducit primùm ad coronam, tum coma suspendit ad supplicium; & quem temeritas evexerat, æquitas depressit ad acervum lapidum. Achitophel in Senatu Absalonis facilè princeps, suspendiô interiit. Holofernes in conopæo suo, ludibrium est mulieris ferientis. Vespere epulatur, & fulget; mane pendet ex hasta. Quid cum Regibus actum est? Balthasar á cyathis ad secures traditur. Jezabel modò lascivit in vinea, modò deijcitur è fenestra. &c.* Sed nolo ultra immorari declarandæ in dulcedinibus temporaneis amaritudini, cùm continua experientia eam demonstret, & hi ipsi qui fruuntur bonis hujus vitæ, sentire se in melle fel fateantur, uti fassus Salomon (quô utiq; felicior inter Monarchas nullus extitit) dum gemens dixit: *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.*

B. Petr. Dam. Epist. 6.
Oliva stro. l. 5.
Felicitatis temporaneæ in calamitatem fit mutatio.

Jam amaris hujus vitæ inesse dulcedinem, demonstrandum. Amara temporanea inter odibiles & execrandas adversitates reputant imperiti, sed falsò. Audi Apostolum de se: *Mihi autem absit gloriari* 3.

Eccl. 2, 2.

riari

Gal. 6. 14. *riari nisi in Cruce.* Ac si diceret: glorientur alij in divitijs, alij in honoribus, alij in luxu, alij in Majestate, alij in vestium splendore, alij in famulantium turba, alij in eruditione & sapientia, alij in fama & pretio sui &c. Ego in sola cruce gloriam quœro & obtineo. Dum urbibus eijcior, dum catenis & compedibus includor, dum virgis cædor, dum lapidor, dum naufragium perfero, dum in profundum maris prœcipitor, dum calumnijs conspurcor, dum opprobrijs obruor, dum sum ludibrio plebi, ac hujus abjectio, dum fio peripsema mundi, dum ad custodias trahor, & carceres, ac ex his ad securim; in istis meam gloriam veram, & omne solatium repono. Audi & S. Bernardum docentem te. *Agnosce hæreditatem tuam in Cruce, in laboribus & ærumnis plurimis.* Unde opulentam hæreditatem & abundantiam bonorum te possedisse puta, dum crucem prehendisti. Non fulgura, non tonitrua ferientia, non grando sæviens, non turbo evertens, sunt tribulationes; sed svaves rosæ. Ac ita Henrico Susoni, quoties graviores aliquæ cruces impendebant, visus est Dominus JESUS in ej9 caput rubentes rosas depluere. Non te maledictum & infelicem cense dum adversis premeris; nam S. Damascenus vocat crucem. *Argumentum multæ benedictionis.* Benedictiones abundantissimæ in te descendunt (crede mihi) dum ærumnæ plures & graves in caput tuum decidunt. Certè Job non exhorruit, sed dilexit sterquilinium, ac in sua extrema calamitate & nuditate DEUM benedixit: *Sit nomen Domini benedictum:* Noverat enim in sterco-re & ulceribus suis pulcherrima continer dona; DEI.

Adversitas temporanea dulcescit pro DEO.

l. 2. serm: 25. in Can:

Lib. de imit: Christ.

l. 4. c. 2.

Job. 1. 21.

Et

Et Apostolus quem gloriantem in tribulationibus ac exultantem audivimus, absorptum se solatio in illis ac plurimúm illarum desiderió, abreptum, ait. *Quæ quidem sunt retro obliviscens: ad ea, quæ sunt priora extendo me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Ac si diceret. Felicitatem meam pristinam, in honoribus, in amoribus apud Proceres Judæorum, in gratijs apud Magistratûs, in muniis publicis, in divitijs quas possidebam, & augere facilè poteram &c ita abjeci, ut & è memoria mea illam eliminaverim, pudeatq; me, & pigeat felicem aliquando fuisse, juxta genium & sensum seculi. Sed ad ea, quæ sunt priora, nempe ad Apostolatûs insignia, scilicet tribulationes, dolores, ærumnas, cruciatûs, mortes, extendo me ipsum ut per ea continuò incedam in viis *Domini*, ad destinatum bravium supernæ vocationis; extendo me ipsum ad illa, per indesinentia eorum desideria, sitim, famem, per amorem illorum ardentissimum, per gaudium in illis svavissimum. Quod dixit, egit. Vapulaverat virgis ter, & addidit ultro vulneri vulnera, cœsusq; sævit in sese, corpusq; castigat suum, quasi satiari afflictione nequiret. Nos pariter non agat, in fugam tribulatio, sed amplectamur eam, augeamus, augeriq; cupiamus. Nam si plagas auxeris tuas, torcular calcabis, & eris botrus, unde cor Christi, hilarescat & tuum. Palmites simus religati ad lignum Crucis, & ferri patientes, feririq; gestientes, si putemur. *Sic* enim Apostoli floruêre, quorum vix aliquis ferrum effugit, & eorum Princeps ab alio cinctus est, & ductus quò nolebat. Itaq; fructificabis ut vitis, ad *DEI* tuumq; sola-

Philip. 3.13.

solatium, si ligaberis, si truncaberis; & si premare, si tuum, ipse torcular calcaveris, dolores amplificando, exulcerandoq;, quibus te impietas aliena exagitabat. Attende, quid dicat Evangelista: *Neq;*
Luc. 6. 44. *enim de spinis colligunt ficus, neq; de rubo, vindemiant uvam.* Spinæ divitiæ sunt; Symbolum verò sinceræ voluptatis ficus est. Ficus quæ servandæ dulcedinis desideriô, oblatum ab arboribus regnum constanter repudiavit. Non colliguntur certè ex talibus spinis, dulces ficûs veræ voluptatis. Sed cùm etiam per spinas tribulationes designentur, qùibus acriter pungimur, & quarum acumina ad cor usq; penetrant; Christiana, multò magis religiosa agricultura, legit è rubis svavem uvam, colligit dulces ficus è tribulis. Si quidem injuriæ quævis, vincula, tormenta, cædes, pariunt immortalem coronam, ac propter hanc, vera in hac vita gaudia.

4. Vide Abraham victimam immolantem: *Facta*
Gen: 15. 17: *est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans. In illa die pepigit Dominus fædus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc.* Quis somni-
Ex adversis erumpit veta felicitas. asset egressuram è clibano, Regni virgam? quis latere putasset in rogo purpuram? quis expectasset tantæ meridiem felicitatis, è caligine? & tamen ex hac illa erupit. Ita si caligine ærumanrum obvolveris, si teterrimus infamiæ fumus te denigret; inde felicitas tua summa exorietur: unde caliginem ejusmodi tenebras & fumum, non declina nec exhorresce, immò exambi cum desiderio, ac in illis persiste cum gaudio.

5. *In die tribulationis meæ DEUM exquisivi, ma-*
Ps: 76. 3. *nibus meis nocte contra eum; & non sum deceptus;*

ait

ait Propheta DEum quærere & invenire in hac vita nullum solatium, nullaq; voluptas major. Experti Sancti & Sanctæ, quid sit delectari in Domino. Sed ubi quærendus & inveniendus sit DEUS? vide; in tribulationum umbris, in adversorum tenebris; alibi illum haud reperies. Dum tenebrosos afflictionum dies toleras, dum nox horrida ærumnarum te occupat, tunc DEUM quære, tunc enim illum invenies, & non decipieris in eo obtinendo. Verùm si fortunarum dies sereni tibi affulserint, si sol sine nube tibi arriserit, tu interim hac in luce DEUM quærere præsumpseris: decipieris: utiq; ea felicitatum serenitas, facilè mentis lædit oculum, ne ille Numen respiciat, & ductor sit Cœli ad Dominum.

Per adversorum tolerantiam ad Dei possessionem venimus.

6.

Pro solatio habentur vestimenta splendida, decorem & pretium personæ comparantia. Vis animam vestire ita; ut grata oculis DEI, totiusq; curiæ Cælestis compareat, tribulationem adi, per illam ornaberis, gemmis pulchriùs, splendidiùs adamante. Ex hac nitidè, & ornatissimè prodeuntes vidit Joannes, de quibus dicebatur. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sangvine Agni.* Nitidiùs certè & pretiosiùs ornari non potes, quàm in tribulatione in qua & lavaris à sordibus defectuum per pretiosissimum Christi sangvinem, & dealbaris per eundem pulcherrimè in anima. Conclude ergo Christiane, multò magis Religiose, apud te cum Simone Duce populi DEI in adversa ruente. *Non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis.*

Apoc: 7.14.

In tribulationibus exornatur anima.

1. Mach: 13.5

is. Absit, ut mollem & delicatam sequar viam ad æternitatem; sed ducam cursum vitæ per adversa quævis, nec parcam animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis, scilicet Sanctis Instituti mei, jam in decore Cœlesti fulgentibus. Hi ex tribulatione assumpserunt stolam gloriæ suæ; ergo & mihi assumenda inde est omnino stola, quâ indutus majestuosiùs compaream æternitati

7. Habes demonstratam luculenter in dulcibus hujus vitæ amaritudinem. *Accipe ergo quæ dulcia sunt hujus vitæ pro amaris, amara pro dulcibus, & summa pace frueris.* Illi enim solùm in terris pacatos ducunt dies, qui dulcia hujus vitæ pro dulcibus, amara pro amaris acceptant. Legimus clarum hujus exemplum in Jona Propheta. Hic jussus á DEO adire Civitatem magnam Ninive, & in ea prædicare ruinam, in pænam scelerum post qua-
Ionæ, 4. draginta dies immittendam á sua Justitia. Dum est coactus satisfacere imperio Divino, *cæpitq; introire diei unius iter, & clamavit & dixit: Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Postquam autem factum est, quia *crediderunt viri Ninivitæ in DEUM; & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt*
Ib: 5. 6. 7. 8. *saccis, á majore usq; ad minorem: Et perve*
9. 10. 5 *nit verbum ad Regem Ninive & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum á se, & indutus est saccô, & sedit in cinere. Et clamavit & dixit: In Ninive ex ore Regis & Principum ejus, dicens: Homines & jumenta, & boves, & pecora, non gustent quidquam, nec pascantur, nec aquam bibant. Et operiantur saccis homines, & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine; & convertatur*

tatur vir á via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si convertatur & ignoscat DEUS; & avertatur á furore iræ suæ, & non peribimus. Et vidit DEUS opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est DEUS super malitiam, quam locut9 fuerat ut faceret eis & non fecit. Quod advertens Jonas, afflictus est & irat9 est afflictione magna; & oravit ad Dominũ, & dixit: Obsecro Domine nunquid non hoc est verbum meũ, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc prœoccupavi, ut fugerem in Tharsis; scio enim quia tu DEUS clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Et nunc Domine tolle quæso animam mem á me: quia melior est mihi mors quám vita. Considera turbatissimum cor Prophetæ, paceq; omni destitutum ejus animum, angorib9 tristitiisq; velut sævissimis fluctibus agitatum, & quære causam; cur tam graviter conturbetur? En famam honoremq; suum læsum enormiter putat miseratione Domini super Ninive. Pepercit DEUS huic Civitati, placatus ejus insigni pænitentiâ, & ab illa ruinam avertit. Quia veró Jonas hanc prædicabat, tanquam certò superventuram, ne pro falsó Propheta reputetur, timet, & dirè angitur, totumq; tempestas anxiarum cogitationum obruit, & inquietissimum reddit, ita, ut mortem exoptet, & expetat, præ vitâ turbulentâ. Ita sit: mox Jonæ aucta turbatio, & immoderata inquietudo mentis. Postquam enim *egressus est de Civitate, & sedit contra orientẽ Civitatis: & fecit sibimet umbraculum, & sedebat subter illud in umbra donec videret quid accideret Civitati.* Et *præparavit Dominus Deus hæderam, & ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super*

Pro dulcedine reputata felicitas temporanea amarum reddit animũ

Jonæ 3.1.2.3 4.5.6.7.8.

 caput

caput eius, & protegeret eum, laboraverat enim, & lætatus est Jonas super hedera lætitiâ magnâ. Et paravit DEUS vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit. Et cum ortus fuisset Sol, præcepit Dominus vento calido & urenti; & percussit hederam, & percussit Sol super caput Jonæ, & æstuabat: & petivit animæ suæ ut moreretur, & dixit: Meliùs est mihi mori, quàm vivere. Et hic quæ mæroris, & inquietudinis ratio? En hæc; quia repererat Jonas hederam, cujus umbra se ab æstu solis protegeret, lætatusq; est super ea lætitiâ magnâ. Interea vermis percussit hederam, & aruit; ortusq; sol percussit super caput Jonæ, jam umbrâ non protectum. Harum inquietudinum gravissimarum, turbulenti tumultus, sævæq; agitationis mentis fons & origo non est alia in Jona, nisi: quia dulcia pro dulcibus, & amara pro amaris suscepit. Dulce illi erat dici verum prophetam, & pro tali reputari, hanc dulcedinem quia læsam censebat, miseratione Domini, revocationeq; feralis sententiæ in peccatricem Civitatem; affligitur exinde & summè conturbatur: Et quia postmodum, dulce quid & gratum obtinuisse se credidit, dum ab æstu solis umbraculum obtinuit, beneficiô hederæ, & quia illud sublatum sensit cum amaritudine ingenti; etiam exinde quassatur, & concutitur diris angoribus. Certè si munus suum propheticum ita non adamâsset, nec tam dulce censuisset, non timor vanus, irritandæ in eo veritatis & fidei (vanꝰ inquam: quis enim prudenter falsitatis arguere eum poterat, dum agnosceret DEUM decretoriam mutâsse sententiam, placatum pœnitentiâ peccatorum civi-

civium) se conturbâsset. Deinceps si tenui umbræ tanto non adhæsisset affectu, nec illam ita æstimâsset: sed reputâsset eam pro nihilo, nec etiam jacturam ejus inter calamitates maximas censuisset: non fuisset tam dirâ animi clade saucius. Planè ex eodem fonte scaturiunt inquietudines animi & sævæ mentis tempestates erumpunt, inter Christianos, & plerumq; etiam Religiosos. Adamatur nimium honestum, famæ integritas, munerum optimus successꝰ. Et si vel inanis metus, horum detrimenti, tetigerit animum; pax integra interior convellitur, succedit anxietas, turbatio, mæror, aliæq; passiones, litium & bellorum intestinorum causæ. Si verò honoris nostri & gloriæ fucatæ, contemptus in nobis vigeret, salva & integra maneret mētis malacia. Item quia agglutinamur quodā modo etiam vilibus quibusdam objectis, per affectum; hinc dum jacturam eorum patimur, aut eam vel metuimus tantùm, interna pessumdatur penitus quies, & dira cor agitat vexatq; tempestas. Si autem quævis vitæ mortalia bona inania, & amarulenta crederemus, nulla regnum animæ peteret procella, sed immotum, in altissima pace illud subsisteret. Et ad hoc plurimum conducit Regula SOCIETATIS nostræ observata, in qua S. Pater nos ita adhortatur. *Diligenter animadvertant, oportet, magni faciendo, summiq́ momenti id esse ducendo. in conspectu Creatoris ac Domini nostri, quantopere juvet, & conferat ad vitæ spiritualis profectum, omnino, & non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur; & admittere, & concupiscere totis viribus, quid quid Dominus noster amavit, & amplexus est. Quemadmo-*

Inquietam ducunt vitam Religiosi quia amore famæ, honoris & commodorū ducuntur.

Sum: II.

admodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt sequuntur; diligunt, & quærunt magna cum diligentia, honores scilicet, famam, & magni nominis existimationem in terra; sicut mundus eos edocet; sic qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum sequuntur, amant, & ardenter exoptant, quæ ijs omnino contraria sunt &c. Quid enim Religiosum conturbare unquam poterit, qui quasvis adversitates dulces reputat, & cum gaudio suscipit? & qui ab honoribus, famâ, & magni nominis æstimatione abhorret. Nam dum ipsi illa eveniunt, tranquillam mentem non corrumpunt, sed recreant; dum verò hæc deficiunt, detrimentis suis, ne utiquam commovent animum, sed immo pacatiorem reddunt.

8 Ast dolendum! quod intra septa religiosa nonnulli perfectionem hanc non sectentur, quœ pace altissima illos donaret. Vivunt hi aliqui turbulenti, inquieti, & nec se in pace continent, nec alios ea frui sinunt, turbatores sui, Præsidum, & Fratrum. Tolerareq; tales debet Religio, ut onus gravissimum & molestissimum. Degunt in cœtu religioso, claustra, quæ Angelorum deberent esse contubernia, in tartara commutantes, dum suo turbulentô genio, commovent Fratres ad contentiones, jurgia, dissidia. Inquietudinis autem, quam in communitate causant, duo solent esse fontes. Primus est: quod honoratiora munia appetant ferventiùs, & reverentiam sui ambiant. Si enim ista illis denegentur, vel subtrahantur, coganturq;, in humilioribus hærere officijs, ad sublimiora non admoti; invidiâ ex promotione aliorum proveniente, se ipsos corro-

Religiosi se & communitatem suam pace destituunt qui honoratiora ambiunt.

rodunt, & crisibus ac censuris promotos ad Cathedras altiores, vexant; tum querelis, & amaritudinibus domum implent, quandoq; & Provinciam. Legimus de Davide quod hic Regis consvetudine, regiœq; domiciliô minimè tumidus, á Saule, dum bellum conficeretur, tantisper respirare permissus, á conopeo revolavit ad caulas: *Tribus ergo majoribus secutis Saulem; abijt David, & reversus est á Saul, ut pasceret gregem Patris sui in Bethleem.* 1. Reg. 17. 14 Regis armiger, gregis procurationem non fastidit. Quiq; ex imperantis pectore furias extundebat lupum arcebat á præsepi. Quid nobiliùs, quàm cum monstris pugnare pro Principe, Regemq; vinculis eximere manium, non civicâ sed regiâ laureatum? Quid contra ignobiliùs, quàm oves tueri, ne feræ illas infestent? In hæc David probra descendit, ab eo splendore curarum munerumq; nitore. Nihil ergo ita in Davide suspicio ut fistulam post Cytharam, ut pedum post umbonem. Quis pastorem ageret, si vel mensem unum apud Phrygionem in acum aurum trajecisset? Repedavit David ad pedum á solio, nec stabulum horruit, interiori Saulis cubiculô torôq; dignatus. Nec puta quia pro tunc sauciabatur regius armiger, diriùs crambe quàm lanceâ & salictô, quám sarissâ lacerabatur immaniùs. Tulitq; sortem humilem post sublimem sine murmure, sine querela, sine animi commotione. Religiosi autem nonulli, qui elegerunt juxta vocationem suam esse abjecti in domo Domini, si á munere specioso subtrahantur, ponanturq; vel relinquantur in viliori officio, o quám id acerbè ferunt! quantas in se & in communitate turbas excitant! vix

Officia viliora non respuenda post sublimia.

Religiosi aliqui turbatores sui & aliquorum ob sua officia humilia.

non

non pari contentione, ac si Regnum Cæleste illis eriperetur, vel clauderetur. Discant vel ex Juvene seculari Principe, promptum ad abjecta animum, nec ament fastigia religiosa; vivéntq; pacati, & alios pacatos esse sinent.

9. Secundus est fons inquietæ non nullorum Religiosorum vitæ, quòd aliquibus commodis hujus vitæ adhæserint, & hæc flagrantiùs appetant. *Si* enim deesse quidpiam sibi sentiunt, aut quandoq; imaginantur non nisi, o quantis curis agitantur! quantis quassantur angoribus! quanta vexantur solicitudine! quantis indignationibus fremunt! & sæpe agitur apud illos, de defectu modicæ umbræ, uti apud Jonam, ac de defectu levis hederæ solatij; propter hoc autē se pace destituunt, & suos Præsides, communitatemq́, suam. Congruit talibus objurgatio Olivæ super illud commentantis: *Quis nobis dabit ad vescendum carnes? Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quid clamatis* (ait ille) *audacissimis vocibus in atrio domûs Domini? defecimus. Num Sacra, num oratio, num cinis luctusq́ desunt? quin ea ad fastidia suppetunt*, ajunt. At mensa lautior, vinum generosum, vestimentum cultius, tegumentum capitis ornatius, cubiculum commodius, stratum mollius, desunt. *Ergo in morem Hæbreorum Cælestis vos tædet annonæ? quod si fluente mannâ, illis non licuit panem, frigidamq́ optare, quin morerentur; licebit nobis in azymo surfur esurire? Qua ratione, qui Cœli pane saginaris, flagrare cupiditate glandium potes? Oras, & luges, litas & ureris? lacrymaris & psallis? Doceat te Syrus Naaman, peregrinos latices fastidire: nam si ille Jordanem Abenæ præferre recusabat, cur tu Jordanem*

Num: 11.74. Ib: 21.5.

Strom: l:1.

nem Nilo, pôsthabeas. O si sitiremus ærumnas! si dulcescerent nobis incommoda! si desiperent solatia! si fastidiremus irritamenta gulæ! mitesceret indignatio, comprimerentur querimoniæ, tranquillamq; possideremus mentem, ac tranquillitatem domûs, Præsidumq; nostrorum, minimè læderemus. *Absit absit* (loquor cum Tertuliano) *á servo DEI tale inquinamentum; ut patientia majoribus tentationibus prævaleat, in frivolis excidat.*

10. *Exempla patientiæ in adversis pacatæ & hilaris.*

Moveant nos domestica exempla, in abnegatione famæ, honoris, commodorum vitæ, annos Religiosos cum gaudio transigentium, summaq; semper pace fruentium. Nostræ Provinciæ insigne dec9 V. P. Gaspar Druzbicki, o quanta in lucubrationib9 suis asceticis abnegationis perfectæ edidit documenta, quæ in se expressit! Posui hæc in opere meo, cui titulus Palæstra vitæ, &c. in supplemento, ex manuscriptis dicti Patris desumpta: hîc addo renuntiationem illius, quam voto consignavit, in præsentia cujusdam Superioris. Praxis renuntiationis hujus, ita se habet. *Ego N N. Sanctissimæ, & æternùm omnipossibiliter adorandæ Trinitati, coram Sanctissima DEI Parente, Sancto Angelo Custode, ac totâ curiâ cælesti, & coram te Reverende Pater, plenissimé & omnimodè omnia Professionis vota innovo & de novo facio, insuper ad majorē Numinis gloriā, propter ejus solius voluntatem explendā totaliter, omnes solatij, meriti, vel præmij temporalis vel æterni deside-rio, tum propriæ famæ & æstimationi renuntio, eamq; insolidum Divinæ dispositioni resigno. Voluntatem quoq; meam Sanctissimæ voluntati in æternum mancipium trado, devoveo, inscribo: & in amplissi-*

Vitæ.

Resignatio sui & solatiorum suorum in Divinam voluntatem.

mum ejus obſequium omnes animæ meæ potentias, omnes corporis vires, omnes ſangvinis guttas, omnes mei atomos, omni poſſibili reſignandi, inſcribendi, tradendi, modô, reſigno, inſcribo, trado. &c.
P. Joannes Brebeuf, diu & ſæpe flagrabat deſiderio, ea omnia tolerandi, quæcunq; Sancti Martyres paſſi ſunt unquam. Percuſſus à Barbaris, veſperi agebat gratias. Sæpe Chriſtum ſpectavit in lumine ſæpius in cruce vel cum cruce, quam Chriſtus etiam in ejus humeros deponebat. *Tunc bene* (ajebat) *Sperabo de mea ſalute cùm ſe mihi dederint occaſiones, quám plurima patiendi.* Sæpe videbat inter orandum veſperi, per-multas cruces, audita voce intus *tolle;lege* mane aperto Thomæ A Kempis libello, incidit in caput de regia via Sanctæ Crucis. Inde illi mirum in modum tranquilla pax, & omnia in luce clareſcebant inter adverſa. Tandem poſt tolerata dura, quàm plurima, nobiliſſimum ei obvenit Martyrium, exquiſitiſſimis cruciatibus decorum. In cuius ardoribus hortabatur Chriſtianos: *Filij dum patimur, ſurſum in cælum oculos elevemus, videt hæc, remunerator DEUS. Moriamur fortes fide in fide. Gloria erit æterna.* Apud Huronesobiit quô appulſus neminem reperit Chriſtianũ, moriens reliquit ſeptem millia. P. Jacobus Mortellus, ingenij ac morum felicitate, inſignis, ſeu majores facultates doceret, ſeu gubernaret, ſeu Epiſcoporum Baſilienſium conſcientias, tractaret. Ultimis quatuor annis vocabat ſe diſcipulum patientiæ; corrupto ſangvine in ulcera exeunte. Bienniô ultimo ad dictas calamitates, etiam cæcitas acceſſit. Totis pedibus maximè miſerabilis & exeſus, doloris ac patientiæ ſpeculum, genuina Tobiæ ac Jobi ima-

imago. Inter hæc nunquam visus tristior, sed animô liberô ac tranquillô, DEO gratias decantabat.

P. Ambrosius Gerardinus, vir insignis humilitatis ac pietatis, ac veró tolerantiæ laude admirabilis. Evaserat fermè totus unum ulcus, quod erat perennis vermium scaturigo, carnes corrodentium, & exedentium, tum ingenti cum dolore, tum cum odore teterrimo: nunquam tamen dedit ullum vel tristitiæ, vel impatiẽtiæ indicium. Solatia ferebát; qui visitabant & sine lacrymis cõspicere nõ poterát ea, quæ Ambrosius patiebatur. Ille porro animo tranquillô ac hilari consolabatur eos, qui sibi compassi. In summis Julij caloribus extinctus, & tunc mirabili metamorphosi, fætor commutatus in odorem svavissimum, quem cadaver spirabat.

Taceo alia plurima incocussæ patientiæ exempla inter adversa, & tranquilli animi inter tribulationes. E quibus utiquè clarè deducitur, quòd illi qui amara hujus vitæ pro dulcibus accipiebant, summa pace fruerentur.

MONITUM VI.

Curam habe eorum, quæ DEI sunt; quœ tua sunt; DEUS satis curabit.

IPse Salvator ut curam hominum habeat, ijsq; prospiciat; curam Patris sui æterni habet. Legimus in Evangelio quód antequam quinque millia hominum (qui in desertum, ipsum secùti erant ad audienda verba salutis) I.

prodigiosè satiaret; *Respexit in cælum, & benedixit illis*, id est quinque panibus, & duobus piscibus; *& fregit & distribuit discipulis suis ut ponerent ante turbas.* Non manus infixa terræ, sed in Cælum erectus oculus, in solitudine fruges disseminat: nec labor, sed fiducia uberem messem inter vepreta montium demetit. Itaq; frustra laboratis, qui manducatis panem doloris. Inhibete ab opera dextram, erigite frontem ad sidera; nam frumentum electorum non tam è terræ sinu, quàm è firmamento Cæli expectandum est. Terram calca, Cælum intuere, siquidem frugum tuarum colonus oculus est, rostrum palpebræ sunt, pupilla sol, lacrymæ pluvia, cor horreum; quod dum fiduciâ in DEUM oppletur, omni escarum apparatu abundat. Convertamus nos ad DEUM, dum nobis provideri volumus necessaria vitæ sustentandæ, & locupletem horum commeatum obtinebimus. Curemus Divina & Spiritualia; tunc DEUS ipse eorum, quæ nostra sunt, curam suscipiet. Deficimus sæpe in ijs, quæ status noster exigit, & cur? quia ea, quæ DEUM concernunt, negligimus. Propter solertem & solicitum circa temporalia conatum, non interest secularis homo Missæ Sacrificio, die festo, uti debet; & profesto, quando potest; differt expiare Sacramentô pænitentiæ conscientiam, devotiones consvetas abbreviat, vel intermittit &c. nec habet successum ejus industria, studium & labor. Cur? quia DEUM hujusq; immediatum cultum spectantia, propter illa deserit. Contingit, ut etiam Religiosus, cui cura temporalium pro servis DEI demandata, huic intentus, Altare quandoq; deserat, & immolationem in hoc Cælestis Agni

Curæ temporaliũ non benedicit Deus dum propter illam Divina negligũtur.

Religiosus Occœnomus negligens Divina propter temporalia.

Agni; ut boves provideat ad clauſtri macellum; ex colere animum Sacris meditationibus, & præſcriptis à Religione, ac etiam ab Eccleſia orationibus negligat; ut culturam agri perficiat: vel truncatim & properanter illas expedit, ut hanc acceleret: Fructus ex terra animæ ſuæ per annua exercitia non colligit, nec per hæc extirpat ſentes defectuum, ut campum à ſentibus emundet & ex eo uberem meſſem colligat, non benedicet DEUS ſolicitudini tantæ ejus: quia ipſe per orationem DEUM non benedicit. Aſt ſi ad Altare accederet, penſum Sacerdotale attentè perſolveret, orationes injunctas funderet; quolibet die conſcientiam introſpiceret, DEUS, illius circa temporalia curam in ſe aſſumeret: Religioſus Scholaſticus ut in eruditum & ſapientem virum evadat, interdum fit, quòd orationi conſvetæ tempus adimat, vel decurtet; quod inviſere latentem DEUM in altari negligat &c. nec per hoc doctior evadit. Si verò Divina non intermitteret, immò augeret; ſapientiam æternam ſui adjutricem ingenij experiretur. Profeſſor quoq; Religioſus ut accuratiùs lectioni tradendæ auditoribus in minori ſeu majori palæſtra ſe donet; hæc & illa ex ſpiritualibus purè negotijs ſeponit; cuditq; idcirco operosè, nec ad ſuam aliorumq; probationem Profeſſorale ſuum munus; quod funderet ad fructum diſcipulorum, & ad ſatisfactionem, ſe docentem auſcultantium, ſi nihil de Divinis negligeret. Pariter & de alijs Religioſorum muniis diſcurrendum.

Et Religioſus Profeſſor & Scholaſticus propter ſtudiũ

2\. Aliquando, *JESUS aſcendens in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum á terra reducere puſillum.* Luc. 5. 4.

Et

Et ſedens docebat de navicula turbas. Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi; Præceptor: per totam noctem laborantes, nihil cæpimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum. Subter fugit quis concionem, Sacrificio Miſſæ non intereſt; orare non vult; quia prætendit humanæ vitæ ſuæ indigentias, vel ſui ſtatûs exigentias. O mortalium egentiſſime! nonne vides Petrum, per totam noctem capturâ piſcium fruſtratum, Divino verbo mane vacare, litare cor Salvatori, cum DEO in humana carne devotè agere? nec ideo deſtitutum; ſed tantam concluſiſſe piſcium multitudinem, ut rete rumperetur? Non ergo patrimonio lucrove decedit, quod DEO Diviniſq; impenditur. Ante concionem, & devotum cum Chriſto commercium Simon laborat in caſſum; poſt verbum, in verbo, prædam quam capit, non cepit.

Temporaliū curā propter Spiritualia ſeponentib9 benedicit in temporalibus DEUS.

3. A Petro piſcatore ad militem Davidem tranſeamus, de hoc Oliva. *Sacraverat poſt triumphum Goliæ, DEO in templo gladium adoleſcens David: at enſe ſuo deſtitutus, felicius Divino protectus eſt: quem deinde á Sacerdote recepit, fortiorem expertus, quòd in Aris rubiginem non contraxerit, ſed Divinitatem quandam, & humanâ majorem fortitudinem didicerit. Itaq; DEO dare fænus eſt;* Divinis ſe, laboresq; ſuos impendere, lucrum eſt, non detrimentum; nam & piſcatio intermiſſa lucrum fuit; *uti ſuſpenſus in tabernaculo gladius, triumphos parturit, in acie victorias palmasq; pariturus.* Impendamus nos Divinis;

Spiritualia nō negligenda.

&

& locupletabimur usu talentorum, quæ per labores nostros exercemus, fructuq; horum abundabimus: experiemur vim argumentorum in propugnandis nostris thesibus, & oppugnandis alienis, si acumen ingenij interdum subtrahemus scientiæ, ac DEO dicabimus; fortitudinem dictionis & robur obtinebimus, si eam interim suspendemus ad aras & Oratorium.

4.

Tenui eum nec dimittam clamat Sponsa. Felix sanè, si JESUM teneas; sed longè felicior si detentum retineas. Una Sponsa & quæsivit sponsum, & quem invenit complexa est, & quem comprehendit, non dimisit. Invenimus JESUM per vocationis gratiam Religiosi: tenuimus eum, & amplexi sumus in tyrocinio ferventer, per mentales & vocales frequentes orationes, continuamq; ejus memoriam. Ast nô nulli vix pedem è tyrocinio extulimus, dimisimus JESUM, nisi quòd compulsi & neglectim eum apprehendamus; absorpti autem studiô literarum, præsentiam ejus eliminavimus; hinc provenit, ut successum eruditio nostra non obtineat. Si verò postquam tenuimus JESUM in primordijs religiosæ vitæ, dimitteremus nunquam, JESUS nos non desereret, redderetq; felicia & facilia nostra studia, aliaq; munia Religionis, quæ obimus. Audi ultra loquentem Sponsam. *Tenui eum nec dimittam donec introducam illum in domum Matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Tenebis JESUM nec dimittes, & introduces illum in domum Matris tuæ Religionis, & in cubiculum ejusdem, quod tibi illa attribuit. Aderitq; ipse tibi lectiones scholasticas paranti, scribenti conciones, formanti argumenta, cogi-

Cant. 3. 4.

Propter Spiritualia, seponentibus aliorum curam DEUS adest.

cogitanti ingeniosas rationes, elaboranti facundam dictionem, versus Poëticos ordinanti, disponenti domus annonam, combinanti proventus, horumq; expensas, negotia perpendenti, revidenti jura &c. Scis utiq; quia adesse solebat JESUS alijs, se per orationes & devotam mentem non dimittentibus. Et ita Angelico Doctori, qui suam Angelicam scientiam (quæ orbem & Cathedras hucusq; erudit) non tam se labore comparâsse asseruit, quám á JESU hausisse. Aderat & Seraphicæ Religionis purpurato Magistro Divo Bonaventuræ, (cujus scientiâ plenæ sunt scholæ & orbis) qui suam sublimem doctrinam á JESU Crucifixo se derivasse fassus. Adfuit idem JESUS Divo Gregorio, per Spiritum S. in columbæ specie, qui illi ea quæ scribebat & legebat ad institutionem Ecclesiæ, dictare & explicare ad aurem est visus. Adfuit S. Chrysostomo, per suum Apostolum Paulum, qui illi lucubranti Sacra opera, & peroranti ad populum adstare est conspectus. Aderat JESUS & nostro magno Theologo Francisco Zuares; qui se adeo fortiter tenuit, per quotidianam SOCIETATIS orationem, ut nunquam eum per illam omissam dimiserit, dictitans: *malle se totius doctrinæ jacturam pati, quám matutinæ orationis horæ spatiô definitæ, omissionem*; profectum suum, eidem in sublimi eruditione, non labori tribuebat; sed JESU, quem arctissimè complexus erat, non tantum in meditatione ordinaria, sed in alijs cum eo commercijs. Nam coram Crucifixo orans, rapiebatur in àëra, ad Cœlestia & JESUM evolando quodam modó, ut se illi tenaciùs conjungeret. Horam autem Sacrificij, ajebat esse horam suarum delicia-

Scientia acquiritur, dū propter eam Spiritualia nō negligūtur.

ciarum cum JESU, ac horam voluptatis, sine qua si esset, suus spiritus exaresceret.

Sed dicet quispiam tantis & tot negotijs debeo esse intentus, tam multis & tam arduis implicatus sum curis, ut mihi spatium ad orandum DEUM, tenendumq; per contemplationem JESUM, vix superfit aliquando; cogor etiam exercitia Spiritualia annua, per quæ conjungar JESU soli differre in longius tempus, abripientibus ad hæc peragenda, dies multos, indesinentibus laboribus meis. Sed vide. Quis æquè, ut Moses negotijs implicatus fuit? & tamen non per octo, sed per quadraginta solidos integrosq; dies cùm DEO in Sina egit. Quis Davidem, & bellorum fremitu, & curarum mole obrutum, vel semel in mense orasse precibus arbitretur. *Septies in die* laudem cecinit DEO. Si sciscitere: unde nam Davidi ad tam magna & tam ardua totius Regni amplissimi negotia tractanda feliciter, opportunitas fuerit, si tantum spacij concedebat DEO & Divinis. Accede & audi loquentem. En clamat. *Venite, audite & narrabo vobis, omnes qui timetis DEUM, quanta fecit animæ meæ.* Ac si diceret. Mira & stupenda operatus est in me DEUS, & per me. Vires mihi tribuit, ad prosternendum fortitudinis monstrum, eripuit me à furore Saulis, & è manibus hostium, indidit mihi solertiam ad regendum populum duræ cervicis. Suppeditavit modum ad comprimendos internos tumultus & rebelliones, quas etiam à filio sustinui; vires & industrias donavit, ad bella tot ac tanta cum victorijs & triumphis terminanda, ac ad amplificandos limites Imperij, subjugandasq;

5. *Nulla cura à spiritualium exercitio nos impediant.*

Ps. 65. 16.

jugo meo gentes. Cur autem ita me DEUS adjuverit? intelligite: *Ad ipsum* (ait) *ore meo clamavi,*
Ib. 17. 20. *& exaltavi sub lingva mea, Benedictus DEUS qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam á me.* Advertis itaq; quòd Monarcha potentissimus, inter tot, ac tantos negotiorum Regni tumultus, ut orationi sæpius per diem vacaret, Divinisq; se impenderet, tempus repererit, quod dum liberaliùs huic Sacro studio concedebat, DEUS cum illo & pro illo agebat ea, quæ ad salutem publicam imperij, suæq; majestatis erant congrua. Invenies & tu, si volueris, inter tuas curas, spatium cum DEO conversandi. Et si illud DEO & Divinis non parcè tribues, aget ipse pro te in tuis muniis, ac efficiet, ut his faciliùs & feliciùs satisfacias. Dicet adhuc quispiam. Periculis debeo occurrere honesti, famæ, fortunæ. Religiosus autem ait, obviandum est detrimentis boni communis, non vacat ut orationi insistam, Iesumq; in hac teneam, ut deberem. Audi ex sacra historia factum Jacobi Patriarchæ. Hic dum rediret ex Mesopotamia in Patriam, ac transiret per regionem fratris sui Esau, sibi infensissimi ita domesticos ordinavit. Posuit utramq; ancillam & liberos earum in fronte, Liam verò, & filios secundo loco; Rachel autem & Joseph novissimos. Si devagari libet ad allegoriæ campum, adverte quomodo Sanctus Patriarcha, novissimo, tanquam tutiori loco, Rachel & filios ejus reposuit. Mavult enim omnes perdere, quàm exponere contemplationem (hanc enim per Rachelem Interpretes
Oratio neglecta. intelligunt) ejusq; fœtum, nempe affectûs. Et tu dum

dum Eſau occurrit, nimirum dum periculum aliquod imminet, vel tantùm timetur, primô ſtatim loco diripiendam, diſcerpendamq; Rachelem exponis, Orationem negligendo, ut famæ & honeſti pericula evites, ut bonum commune Religionis tuearis. Falleris. Crede mihi, non te detrimentum orationis, tuasq; curas proteget; ſi cadet oratio, cadent & illa omnia ad quæ defendenda, illam iacturam obieciſti. Si autem in tuto orationem locabis, de aliis, quæ tua ſunt, ſolicitus minùs, dummodo oratio ſecurè & conſtanter perſiſtat, & illa omnia erunt ſalva. Utiq; vides, quod dum Jacob Rachelem, in noviſſimo adeoq; in tuto loco poſuit, ne eam perderet; DEUS ipſe & ancillas ejus, cum harum liberis, & Liam cum ſuis, filiis expoſitas periculis, conſervavit, & immunes ſalvaſq; illi reddidit. Minimè nocebunt, famæ, honori, fortunæq; tuæ quivis hoſtiles impetus, non peſſundabunt bonum commune inſortunia, cui tu attendis; ſi orationem, propter iſta & illa conſervanda, detrimento non expones. Curabit DEUS ipſe, quæ tua ſunt, & quæ munus tuum concernunt, dum tu curam habebis eorum, quæ DEI ſunt.

Orationẽ qui negligunt, non bene conſulunt aliis ſuis negotiis.

MONITUM VII.

Liberalitate erga te ſuâ utetur DEUS, ſi tu erga proximum tuâ uſus fueris.

JUxta duplicem indigentiam proximi, duplex eſt erga hunc liberalitas. Prima providens bona temporalia & ſuccurrens neceſſitatibus vitæ in- I.

corpore mortali. Altera providens bona animæ & necessaria ad vitam æternam. Utriq; quod liberalitate sua DEUS respondeat declarabimus.

Ad declarandum primum, pauperem viduam produco. Est illa, qua legimus 4. Reg. 4. quæ pauxillum farinæ, oleiq; guttas aliquot erogârat Eliæ, ac suum penitùs penu exinanierat, egesta placenta, quam Prophetæ obsonavit. Eam ipsius liberalitatem erga servum DEI, quomodo DEUS retribuerit, advertite. Ecce lecythus, in morem fluminis, oleô in delicias exuberat, & hydria farinâ abundat semper. *Hæc dicit Dominus Israel* (ait ad illam Propheta) *hydria farinæ non deficiet & lecythus Olei non minuetur.* Verificatum de illa dictum S. Augustini *in charitate pauper est dives:* quia enim charitatem
3. Reg. 17. 14. servo DEI exhibuit, annonam suam tenuem in eum
De lau. Char. prorogando, dives facta est ijs, quæ expendit Unam hanc augendarum opum rationem reliquit nobis Dominus; frangere quod possideas, & egen-
Eleemos. ditat hanc largientes. tibus erogare, ut sui crescant fragmenta dispendiô, sicut creverant fragmenta panis modici, dum hunc Christus, *fregit & distribuit discipulis suis,*
Luc: 9. *ut ponerent ante turbas,* in quas quinq; non nisi panes distracti,& tamē ad saturitatē quīq; millibus hominum suffecêre. Sed nolo longiùs, huic liberalitati immorari, cùm plurima ipsius argumenta,
2. documenta, & exempla passim prostent in codi-
Psal. 84. cibus. Ad aliam itaq; nobiliorem quæ locupletat animum, & quæ magis nobis propria, digredior.

Terra nostra dabit fructum suum ait propheta. Liberalitas certe singularis & admiranda, ex Divina providentia, patet in terra, quam incoli-

mus. Fructum quotannis illa parturit; hunc verò ad usus suos non convertit, nec enim illo vesci nec tegi indiget, hôc uno contenta, quòd Creatoris dispositioni, suam operam germenq; in usum humani generis convertenti, faciat satis; & quòd ea omnia quæ in se produxit, cedant nostræ indigentiæ. Quam autem tam liberalis in homines terra, quia omnes suas opes in illos expendens, retributionem à DEO habeat, nosse vultis? Audite Ejusdem Prophetæ Dominum prædicantia. *Misericordia tua Domine plena est terra.* Terra non in omnibus suis fundis, producit fructus, & hominibus elargitur. Plurimi enim sunt illi steriles; multæ enim regiones recensentur, vel arenarum vastissimos campos explicantes, vel rupibus & saxis horridæ; & si verò sparsim non nisi se terra hominibus communicet, & non tota, nihil ominus misericordiâ Domini liberali repletur tota. Ubiq; solis radiis illustratur, ubiq; astrorum in eam influentiæ descendunt, ubiq; irrigatur, ac integra per aliquot annorum millia in sua mole, Omnipotentis digito sustentatur. *Misericordia Domini plena est terra.* Similem liberalitatem Divinam terra animæ religiosæ proximo se impendentis experitur. Dum suas potentias, suum corpus, & facultates suas, scientiam, eruditionem, facundiam, & in proximos prodigit ex parte, & non totaliter. Tota pro hac liberalitate, *misericordiâ Domini plena existit.* Dum vel scientiâ tuâ uteris Religiose ad salutem proximorum, partemq; hanc fructuum tuorum illis elargiris, hos docendo vitæ æternæ studium. Dum pedes moves apud mo-

Ps. 32. 5. (margin, beside "Terra")
Psal. 113. 64. (margin, beside "Dum vel scientiâ")

moribundos,ut eos ad felicem, è vita exitum disponas. Dum à sceleribus ac propter hæc à perditione perenni avertis peccatores tua Spirituali comitate, ac verborum efficaciâ, tota pro aliquo ex his fructu tuo in proximos erogato misericordiâ Domini anima tua abundat, repletur donis Cælestibus tota, tota gratiis Divinis cumulatur. Audi quid dicat Chrysost: *Sæpe una anima quam lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæq; nostræ pretium, in extremo die fieri.* En vel si in unam animam,non in omnes vel plures, operam tuam, non omnem sed aliquam expendis, potes ex anima tua innumerabilium peccatorum pondus tollere,& integram ab omni inquinamento per DEI gratiam expurgare, totamq; mundam reddere, & totam pretiosam, dignam thesauro Cælesti, efficere, suis in omnibus facultatibus internis & externis, valore æterni pretii ditatam.

Zelus animarum laboribus non parcens, abundat gratiis divinis in vita & morte Adv. quen.

Tu quidem gressus meos dinumerâsti, ait Job ad Dominum. Supra quod commentatur Cassiodorus, ita dicens. *Gressus DEUS numerat, cùm*
3. *singula quæq; nostra opera, propter retributionem designat. Quid enim in gressibus; nisi unaquæq; nostra actio designatur.* Non parcis labori, agisq; quidpiam pro salute animarum, vel minimos gressus actionis hujus tuæ Dominus enumerat, ut liberaliter eos rependat etiam in hac vita Cælestib9 suis favoribus. Percurrebat D. Xaverius Indiæ & Japoniæ Regna, & pedibus & actionibus Apostolicis quid retulit? Tantum illi infuderat solatiorum & delitiarum spiritualium DEUS, ut capere illas

Job. 14. 16. Cass. hic

illas nequiret, peteretq; modum illarum poni, clamans, *Satis est Domine satis.*

P. Hieronymus Ruiz de Portello, ex Formato Coadjutore, 4. votorum Professus, Generalis Præpositi imperio, in Peruviam navigat. Christum ferens animabus infidelium, & statim singulare donum miraculorum patrandorum, & potestatis prodigiosæ super elementa pro hac sua expeditione recipit: nam immensam tempestatem, uti & Divus Xaverius, particulâ Crucis Sanctæ sedat. Postquam autem in eo Regno labores exhausit Apostolus in salutem proximorum, iam morti vicinum DEI Mater, (quam semper studiosè coluit) invisit, in Cælesti Virginum comitatu, ad supremum æternitatis iter, apparatè & hilariter obeundum, ipso suo die Purificationis sacro, veluti Simeonem accinxit.

P. Georgius Vallier, & P. Franciscus Rosellus, in Angliam navigabant, ut suam operam reducendis ad fidem Orthodoxam & salutem Hæreticis consecrarent. Horrida tempestas, quæ noctu navem invaserat, hanc haurit. Dumq; advertunt, sibi & Nautis mortem instare Patres, impendunt se obsequiis periclitantium liberaliter, ea omnia exercendo, quæ exigebat præsentissimum vitæ periculum, ac zeli ratio circa Nautas; exhortando, disponendo, gratiam absolutionis tribuendo. Et statim prodigioso munere á DEO donantur. Dum enim Crucifixi imaginem circumferrent (testati plures, qui naufragium evaserant) quod in illa cæca tempestate, in qua non fuit copia unius videndi; Patrum tamen facies & effigies Crucifi-

xi adeo collucebat, quasi res meridie ageretur: Prætereo alios plurimos, magnis DEI muneribus in vita donatos, eò, quòd suas actiones saluti proximorum liberaliter impenderent.

4. Jacob Patriarcha moriturus, filios benedicit. Id Paterni amoris officium, cum tetigisset Beniaminum, hac benedictionis formâ usus senecio. *Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Beniamin *filius dextræ* interpretatur. Si eris filius dexteræ, quasi ad hoc natus, ut studeas quàm plurimos ad dexteram in die judicij locarî, profundendo in id vires tuas, talenta tua, curas & labores tuos; scito, quia eris amantissimus Domini, & habitabis in eo confidenter, & quasi in thalamo moraberis, ac inter humeros illius requiesces. Hoc certè præmium conceditur liberalitati erga animas proximorum. P. Adrianus Horn SOCIETATIS nostræ pro suis zelosis concionibus, & DEO plenis quarum laborem dirigendis ad vitam æternam proximis sacrabat, hanc mercedem habuit, dum gubernaret Collegia; ut semper exporrectâ esset in DEUM fiduciâ, nec decepta unquam. Contigerat, ut dum de suis alendis, ac pauperibus aliquando recogitaret, statim interna voce, bene sperare, ac se in DEO reponere iussus est confidenter. Moxq; ad locupletem Virginem ægram evocatus, ac liberali opportunoq; subsidio adiutus domum rediit ditior.

Deut. 33. 12.

Gen. 35. 19.

Ea Beniamino felicitas ea & tibi Religiose.

5. Quàm verò svavis & dulcis in DEO fuerit habitatio eorum & quies, velut in deliciarum thalamo, qui suos labores in salutem animarum

pro-

& percussero eum, vos servi eritis & servietis nobis. Spectans Saul illud monstrum fortitudinis, coniectisq; in suum militem oculis, advertit nullum parem illi inveniri ad resistendum; in toto exercitu. Sed Divina Providentia curam populi sui habens, suppeditavit illi puerum adhuc planè Davidem, qui ad certamen cum illo viro terribili se resolvit, & feliciter. DEI auxiliô fretus, carneam illam molem prostravit, totumq; in ea hostilem protrivit exercitum, à grandi confusione ruinaq; ultima patriam liberans, & Principi suo gloriam pacemq; reconcilians. *Porro cùm regrederetur,* 1Ø2.18.7.8.6. *percusso Philisteô David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosq; ducentes in occursum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes. Percussit Saul mille & David decem millia. Iratus autem est Saul nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste, dixitq; Dederunt David decem millia & mihi mille dederunt; quid ei superest, nisi solum Regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David â die illa, & deinceps,* præsertim dum David commissum sibi postmodum non unum prælium gloriosè perficeret. Cur quæso tanto bellatore, tum strenuo ductore, tam felici milite, non contentus Saul? cur ejus animus in se, & contra illum amaritudinibus repletur? cur livoris & odii agitatur tumultibus Princeps, dum suus miles victorias illi & triumphos refert. Ut quid mihi (respondet Saul, cum amarulenta, & mærore tetrico abundante querela) tam bellicosus juvenis? Prostravit immanem Goliath, & in eo

uno protrivit confuditq; integrum hoſtium exercitum, ac per hoc ingentem famam, populo meo comparavit, pacemq; ei reſtituit. Expedit quoq; facili & fortunato negotio omnia alia prælia, ſemperq; ab ijs redit ovans, victorijs & triumphis onuſtus, per quos honor ſinceri Numinis erigitur, fortuna nomenq; mei Regni aſſurgit. Sint hæc ſanè. Aſt meus honor deprimitur, mei pretium ſceptri vileſcit; dum uni juvéni, in paſtoricia caula enutrito plus roboris tribuitur, quàm mihi potentiſſimo Monarchæ. Heroicis ſüis facinoribus palmas & laureas metit in acie. Quid tum? dum hæ, meæ gloriæ non effloreſcunt. Pacem ſua invicta manu finibus meis reſtituit, at quid iſtud? dum me ipſum pacatum eſſe non ſinit; nequeo enim pacatus vivere, dum video à paſtorida, mihi Regnoq; meo pacem inferri, & non à me. Hinc anxiarum cogitationum, hinc turbatæ mentis, hinc inquieti cordis fons in *Saule* erupit, quod & ſi David ſaluti publicæ, Regisq; ſui fortunæ militet, & ad DEI veri cultum populum ejus conſervet; quia tamen hæc præclara facta non Sauli adſcribuntur, idcirco hic angi, turbari, odiis invidiisq; laborare cum tortura vehementi ſui animi non deſiſtit. Unde clarè colligitur, quód *Saul* non tam veri Numinis honorem & cultum, qui erat ex incolumitate ſui populi, quærebat, quàm ſe ipſum. *Si* enim, eum quæſiviſſet, fuiſſet illi tranquilla mens, ac abundans gaudio, quód ad intentum ſuum aſſequendum, nactus fuiſſet Davidem heroem tam idoneum.

Jnde & noſtræ turbationes profluunt, dum quid

quidpiam agimus DEI gloriæ conveniens & saluti proximorum conducens. O quot invenies Religiosos, qui optimis aliorum successibus in muniis horum, exacerbantur asperrimè, si similes ipsi in suis non experiantur! Quot reperies qui dum opus quodpiam aggredi debent, solicitudine summa agitantur, ne fortè cum majori plausu approbationeq; alius illud obeat! Quot sunt in quibus turbulenti affectus invidiæ & odij concitantur contra eos, quorum ob munera religiosa decantantur laudes, & non suæ, vel gloriosiùs decantantur, quàm suæ. In particulari ejusmodi homines clariùs contemplemur. Contingit, ut concionator unus frequentiam majorem habeat auditoris (ex insigni nobilitate, confertissimoq; populo confluentis) quàm alius; efferaturq; ille laudibus de hoc autem taceatur, vel minùs hic celebretur. Itaq; obruitur iste mæstitiâ, contabescit invidiâ, flagrat in æmulum odiô, ac hinc indicium est quòd ejusmodi prædicator, non DEUM in sua dictione quærat, sed seipsum; nempe suum honorem, suam famam, sui æstimationem. Si enim DEUM quæreret, æquè gauderet, dum plausus humani se extollerent, ac dum his non erigeretur, quando DEI voluntatem per præsides sibi intimatam impleret, debitos conatus ingenii & virium eloquio impendens, & quando videret gloriam DEI promoveri ab alio, fructusq; animarum augmentari. Fit etiam interdum, ut unus Religiosus Professor planiùs & solidiùs interpretari Aristotelem, & profundiùs emergi Eurippo censeatur, quàm alius: ac unus arcana Sacræ Theologiæ subtiliùs evolvere putetur, sublimiúsq;

Religiosi aliqui invidiâ laborantes.

Pacem tollit invidia.

ad ſcrutanda Divina evehi judicetur, præ alio. Ergo hinc anxiè turbatur idcirco, invidiâ ſe corrodit, æmuli doctrinam per cenſuras acriores calamô & lingvâ pungit. Per quod enuntiat quod non tam Deus ipſi ſit Curæ hujusq; gloria in ſuæ ſcientiæ laboribus, quàm ſua; nempe plauſus ipſe & applauſus approbationemq; ſuæ doctrinæ intendit potiùs, & non *DEI* gloriam. Si enim hanc pro ſcopo haberet, quietam poſſideret mentem, dum ſciret munus profeſſorale à ſe obiri ea accuratione, eaq; ingenii ſolertia, quam ipſi DEUS tribuit; quòd autem feliciùs illud alius obeat, contentus reddi deberet DEI gloriâ exinde promanante, fructuq; auditorum. Evenit quoq; interdum, ut unus confeſſarius religioſus, denſo cultiorum virorum agmine, & conſpicuarum Matronarum ordine in Cathedra circumdetur, vel adoleſcentum inſignium coronâ floridâ cingatur. Alterius autem ſacræ pænitentiæ tribunal, nô niſi pauperrimi ruſtici, infima plebs, villanæ fæminæ, & rudes incultiq; pueri ſtipent, ac ille ad Proceres & Magnates, præcipuamq; nobilitatem, ſolandam in ægritudine, ac diſponendam in viam æternitatis evocetur. Alius verò nonniſi ad pauperrima tuguriola, & ad projecta in xenodochijs mendicabula, vel ejecta in plateas, prodeat. Tunc hic exinde mærore conſumitur, turbine anxietatis miſcetur, & quandoq; ſe ipſum livore depaſcens, illum per cenſuras, interdum & per iniquas delationes ad *Superiorem*, mordet acerbiùs. Unde apparet manifeſtè, quòd non DEUS ſit illi in mente, dum ſe labori zeli donat, ſed ſua ſolatia, ſuiq; appretiatio. Nam ſi DEUM mente volveret, ejuſq;

jusq; honorem, redderetur contentus & pacatus, operam suam consecrando depressis a sorte nascẽdi, quos æquè redemit Christus, ac eos, quos sors felicior evexit, cùm æquè hi, ac illi salute indigeant. Immo gauderet, quod se pauperibus communicet, *horum* enim (attestante Veritate æterna) *est Regnum Cælorum*, ad quod idcirco faciliùs & feliciùs promoveri possunt, quàm divites. Similes illationes formari debent, & de alijs Religiosorũ munijs, quód scilicet in illis obeundis anxia turbatio, indicium sit; quia per illa non DEUM quærimus sed nos metipsos.

Mulier quædam, uti legimus in Evangelio, perdidit drachmam unam. O quæ non agit tam modicam jacturam passa? *Accendit lucernam, everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat.* Parabolæ quidem huius applicationem Salvator cõvertit ad nos erudiendos, quód vel unius peccatoris conversio, veluti vilis drachmæ, quæratur á se diligenter, ac quòd etiam taliter quæri debeat, á viris Apostolicis. Licet enim illa mulieris solicitudo nimia sit & indebita; ast ex hac Supremus Magister, qui novit in sua doctrina ex spinis rosas, & ex tribulis ficus colligere, salutarem doctrinam depromit, ut & alibi, á villico iniquitatis, salutare dogma desumpserat. Interim nobis licebit eâdem parabolâ uti, ad anxias solicitudines in officiis nostris demonstrandas, & taxandas. Propter unicam drachmam deperditam, illa mulier, o quomodo se, & totam domum conturbat! Jgnem imprimis anxia investigat, & forté latentem pro tunc in cineribus quærit in ijsdem sollicité, eô repertô

2.

Luc. 15. 8.

accendit lucernam, defixiſq; cum hac in terram oculis, omnes angulos conclavis anxia luſtrat, cum muliebri ac dolentiſſima querimonia, totamq; domum ac ejus omnes incolas commovet; reſq; omnes excutiens miſcet, volvit, revolvit, convolvit, explicat, componit, trudit, retrudit tamdiù, donec miſeram drachmam repererit, quam talia importunè agentem, poſſet compellare acriùs quiſpiam. O inſipiens planè es tu mulier! quæ exiguũ tuum detrimentum tanti facis, ut propter illud reparandum, domeſticæ pacis damnum, longioris temporis jacturam & laboris plurimum impendere non dubites. Pluris certè iſta conſtant, quàm tua drachma. O ſi ſaperes! æquo animo ferres, & minimè turbata mente hoc exiguum detrimentum DEI te voluntati conformando. Sed tu minimè DEUM reſpicis in amiſſione drachmæ tuæ, verùm te ipſam tuamq; exiguam utilitatem, quam in poſſeſſione miſeri pretii, credis te habere. Imitantur defacto hanc mulierculam nonulli Religioſi, dum ſuis funguntur officijs. Accidit ut in horum opere aliquo, cenſuram ferant, adeoq; ſui honeſti aliquod detrimentum patiantur. O quantùm inde conturbantur! ac etiam totam religioſam domum conturbant, tum querelis, tum excuſationibus ſui, tum accuſationibus cenſurantium! ut famam ſibi reſtaurent, ac integram inventam in toto locent. Alij verò reperiuntur, qui dum aliqua actio ſui muneris, exoptatum non habet ſucceſſum (DEO id permittinente ad eorum abnegationem & elatæ mentis depreſſionem) accendunt lucernam, & totas noctes inſomnes agunt, ut exactiùs & felici-

Propter nugã gravis quandoque ſui, & aliorum inquietudo.

Religioſorum ob non ſucceſſum in officio, nimia turbatio.

us elaborent opus aliud priori ſimile; quò abſoluto & in publicum edito, everrunt quodammodo totam domum, circumeundo cubicula perſonarũ, ſubſiſtendo ad harum alloquium in ambulacris, ac hoc & illud, eo fine, ut intelligere poſſint meliorem ſenſum de ſua poſteriori actione, quàm de priori fuerit; ac per hoc ut queant deperditam famæ ſuæ jacturam reſarcire. Sed quid agitis per DEUM! per tot diſpendia tum valetudinis veſtræ (quam indiscreto labore, & inſomnijs vos macerando, corrumpitis) tum temporis, (quod longius quàm æquum ſit, operi veſtro tribuitis) tum ſpiritualium negotiorum; dum ſegniter oratis obfuſcata humoribus mente, per ſomnum debitum non concoctis, vel Deũ in Oratione matutina alloquimini divinis nó attentâ quia longiori de lucubrationis ſtudio, cogitatione nocturna obruti, vel dum etiam ſacram orationis horam, omittitis vel minuitis; ut laborem ceptum noctu, pro tunc perficiatis. Nonne hæc pluris æſtimanda, quàm veſtræ vanæ gloriæ exilis drachma? hinc advertite; quòd non DEUM in veſtris muniis quæratis, ſed vos metipſos; ſi enim illum ſincerè & verè quæreretis, minimè vos anxios redderet non bonus ſucceſſus, qui in actione veſtra contigerat: verùm ſuſciperetis hunc de manu DEI gratiſſimè, utpote virtutis veſtræ exercitio conducentem, conſequenter gloriæ DEI, ex vobis non nihil humiliatis; ad alias autem ſimiles actiones conferremini imperturbabiliter, vos voluntati, Sanctiſſimoq; ejus placito committendo, ut hic vel parem ſucceſſum permittat, vel donet meliorem, dummodo labori, ea diligentiâ quâ par eſt, de-

debitoq; tempore ac modo impendamini.

Accedit ad Salvatorem adoleſcens quidam,
3. volens ſe mancipare ejus obſequio, ſed poſtquam
audiit à Xſto dici ſibi, *Si vis perfectus eſſe, va-*
Matth. 19 21. *de & vende quæ habes & da pauperibus, & theſau-*
rum habebis in Cœlo; & veni ſequere me. Hæc
audiens, abiit triſtis. Cur quæſo hic adoleſcens
22. conturbatur & mæſtitiâ affligitur? ſequi quidem
volebat Xſtum; ſed quia intellexit, in hac ſequela de-
ſeri debere, poſſeſſiones ſuas propter Chriſtum,
arduum illi videbatur adſcribi numero ſequentium
Dominum, ideo conturbatus ab eo receſſit; adeoq;
dum Xſtum quærere videbatur, quia quærebat
Ib. ſua retinere, *erat enim habens multas poſſeſſiones*,
hæ anxiam, mæſtam, & conturbatam mentem ejus
reddiderunt. Certè paſſim Chriſtianos, poſſeſſiones
terrenæ quas habent, vel habere geſtiunt, tu-
Propter tẽ-poralia DEUS deſeritur. multibus anxiarum ſolicitudinũ inquietant, & à Xſto
ejuſq; amore revocant; maluntq; conturbari, ne
quidpiam de bonis ſuis deperdant, vel ne incre-
menta illorum non faciant, à via mandatorum Do-
mini referre pedem, ac DEUM deſerere, ut ſequá-
tur fortunas ſuas temporaneas, aſſequantur & te-
neant. Renuntiavimus Religioſi poſſeſſionibus ſe-
culi, quas in manibus habuimus vel in ſpe. Ergo-
deeſt nobis anxietatum fomes & materia. Tur-
bamur nihilominus nonulli ſæpenumero. Et cur?
& ſi pagos, prædia, privatosq; redditus repudiavi-
mus; adhuc tamen aliis poſseſſionibus nos non ſpo
liavimus, ac idcirco afflictionum animi in illis ir-
ritamenta, ſovemus. Et quæ ſunt iſtæ poſſeſſiones
nobis reſiduæ? En poſſeſſio noſtra, honor noſter,
fama noſtra, pretium noſtri, ac emolumenta no-
ſtra

Turbantur Religiosi dum se non Deum quærunt in suis muniis.

ſtra temporalia & commoda; & ex his in nos turbationum ſæva tempeſtas erumpit. Obis munus aliquod Religioſe, in eo loco, in quo recipiendi eleemoſynas, ob parſimoniam incolarum, aut ob penuriam,ſpes exigua vel nulla affulget; itaq; is tibi locus faſtidio ac etiam odio eſt,in eo vitam ducis, numeroſo diſguſtuũ & querimoniarũ comitatu, ac amaritudinum fons in te exundat. Quid per hæc indicas? niſi quòd non Xſtum in officio tuo quæras ſed te ipſum, nam tua emolumenta temporalia: quæ ſi negligeres, purè DEI gloriæ te impenderes, eo loci promovendæ, tranquillam, omnisq; moleſtiæ expertem vitam ageres: Prædicas in ea Cathedra Religioſe, quæ nacta eſt auditorem ſimplicem, rudem,cui tuam eruditionem, acumen ingenij, conceptuumq; ſubtilitatem declarare nequis; & quia à tali, utpote inculto & vili, auditore, pretium tuæ dictionis comparari non poteſt. Ergo angoribus premeris, Cathedram nauſeas. Sed confertiſſima plebs à tuo ore pendet, in lacrymas, te perorante ſolvitur, compuncta & correcta è templo recedit. Hoc quidem adverto (ais) ſed tamen ad cultiorem auditorem me promoveri conveniret, deliteſcere me faciunt Præſides, & meam ſvadam deprimunt, quæ celebris evaderet in publico Procerum, Magnatũ, Prælatorum, Nobilium. O! vide Concionator eiuſmodi, quid quæras? quæris utiq; non ſalutem animarum ac in hac DEUM ejuſq; gloriam, qui hunc finem jam obtines; ſed quæris teipſum, nempe nominis tui celebritatem, appretiationem, famam, tuoſq; plauſus. Idem cenſendum de Pro-

fore turbato & mæſto, dum non cultam natalibus erudit juventutem, de miſſionario malè contento inter rudes, & agreſtes homines, de operario inter pauperes & abiectos. Dum enim in his muniis illi amareſcunt, evidenter demonſtrant, quòd non DEUM ſed ſe quærant. Audite qui eô laboratis vitio, objurgantem vos Prophetam. *Filij hominum uſq; quo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Filii hominum eſtis Religioſi, ſed non filij ſeculi, quia filij DEI effecti; degitis in domibus religioſis, velut in Cœleſti Jeruſalem, ac in viſione pacis, utpote á turbis, quæ multæ comprimunt, inhabitantes ſeculum, remoti; jamq; plures annos in hoc ſacro conturbernio trans egiſtis multi, & interdum, vel frequenter (utinam non ſemper vel ordinariè) animi pace deſtituimini; apparet in vultu veſtro mæror, proditur in verbis turbata mens, & uſq;quo eritis gravi corde? Reſpondent cum dolore: tetrâ melancholia, continuò vel ſæpe me conſumit, timoribus concutior, vexor angoribus, amaritudinibus repleor. Et unde, hæc mala in te? neſcis: en demonſtrat tibi vates ſóntem illorum, e quo ſcaturiunt. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quia diligis vanitatem & quæris mendacium, in tuis laboribus religioſis, id circo es tamdiu gravi corde: Mera vanitas, eſt honor tuus temporaneus, mera vanitas tui apud homines pretium, fama tua & appretiatio nominis; mendacia ſunt iſta, quia mentiuntur tibi bona fucô ſuo, quæ non habent; tu interim has vanitates mendaciaq; diligis & quæris, *quæ ſeductionem cordis ſui prophetant vobis* conſe-

Pace interna deſtituimur dum vanitates ſectamur.

Jer. 14.

ſequenter veſtri gravamina & torturas. O ſi verificaretur de te, quod verè de quibusdam pronuntiat ſacrum eloquium: *In tota voluntate quæſiverunt eum* (nempe DEUM) *& invenerunt; præſtititq; eis Dominus requiem per circuitum*; præſtaret tibi Dominus requiem ſummam, quia in circuitu hanc tibi donaret, ita ut in quovis loco, officio ac tempore, ac in omni circumſtantia alia, te illâ impleret, & redderet ſemper tranquillum. Attende, quid dicat Regius Propheta de ſe. *In pace in id ipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine in ſpe ſingulariter conſtituiſti me.* Cura cum gratiâ cæleſti ut te DEUS conſtituat in ſpe ſingulari, & ita vives, ac ſi ſvaviſſimô ſomnô placidiſſimè obdormires, in pacèq; altiſſima requieſces; nempe non extendas ſpes tuas ad alia præter DEUM, ſitq; unica & ſingularis tua ſpes in eo ſolo ſita. Sed quia ſpes tuas locas in tranſitoriis, fucatis, inanibus, ideo vivis miſer, & afflictus, & ſævo mentis turbine, diraq; animi tempeſtate agitaris.

2. Paralip. 15. 15.

Pſ. 4. 9. 10.

Pacatè vivemus, dum Deum ſolum quæremus.

4. Refert Philoſophus Romanus, quòd dum ingens ille populus, quem ampliſſima caput urbium & orbis Roma continebat, conveniret ad ſpectacula, conſveverant Imperatores plenis manibus ex alto ligneos globulos in turbam ſpargere: quibus ſchedulam incluſerant, & fortuitum aliquod donum, certis notis conſcripſerant, modò equum, modò enſem, aliàs pateram, quinimo domum aut villam; majorem autem partem paleis, infarſerant, intermixtis ſolum muneribus illis & pretioſis, & non paucis; uti præter Senecam, e-

tiam pluribus locis, abbreviator Dionis & Svetonii, testatur. Igitur a d principium desideratæ grádinis, totus populus, ex spectatore spectaculum fiebat, intricatissimâ inter se rixâ & pugnâ confusus, inermi illa quidem sed non incruentâ,neq; mitiore, quàm dum gladiatores veris odiis depugnabnat. Irruere universi, & cadentes, pro se quisq; velle arripere: hi prehensos in confertam turbam conijcere; alii ab invadentibus prosterni, vulnerari, conculcari: isti ad manus inter se venire, seu defendere placeret, quod obtigerat, seu alienum eripere alteri. Et hinc populi perturbatio, fluctus & tempestas quædam, fremitus & clamor; perinde ut si interitum urbs vel orbis minaretur. Pejusne aliquid accidere potuisset, si periculis & infortuniis, non gratiis pluisset? ita plures malè habiti domos redibant, quàm quibus minimæ tantum sortis portio obvenisset. Longè igitur Senc Ep. 74. facessat à theatro,qui sapit, (inclamat Stoic9) longè à tam noxiis concertationibus. *Prudentissimus quisq; cùm primùm videt induci munuscula, á theatro fugit; & scit párva magno constare. Nemo manum conserit cum recedente; nemo exeuntem ferit; circa præmium. rixa est.* Et hic revocat quemq; idem Philosophus, à cura vanitatum, pergens ultra. *Æstuamus miseri; distringimur,multas habere cupimus manus, modò in hunc, modò in illum respicimus: nimis tardè nobis mitti videntur, quæ cupiditates nostras irritant.* Ac post paululum, monet idem. *Secedamus itaq; ab istis ludis, & demus raptoribus locum; illi spectent bona ista pendentia, & ipsi magis pendeant.* Theatrum tale mundus est. Favor Principum aut fortunæ, spargit sua

ſua in genus mortalium dona, honorum, opum, famæ, æſtimationis &c. majorem autem munerum partem fucô aliquo involutam, paleis implet inanibus. Confluunt magno molimine ſeculi homines, unusquiſq; deſideriô & ſpe flagrantiſſimâ actus felicitatis acquirendæ. Et dum hanc pro ſe quiſq; vult arripere, hinc conſurgunt invidiæ, odia, contentiones, rixæ, diſſidia juridica, aut ſine lege lites, duella, cædes, & implacabiles non tantùm perſonæ cum perſona, ſed etiam domûs cum domo, Familiæ cum Familia, inimicitiæ. Ita non rarò videmus fieri, in diſtributione vacantium honorum & reddit3uum, quos quiſq; vult pro ſe prehendere, competitoresq; ſuos violenter prævenire aut extrudere conatur. Utinam quid ſimile non inveniatur in Religioſis clauſtris, quod paſſim agitur in ſeculo! utinam theatrum ejusmodi non transferatur ad cænobia, quod erigitur in mundo! Aſt dolendum, quôd illum non ulli intra religioſa ſepta (ſegregentia nos à ſeculo, hujusq; inanibus ſtudiis) ſtatuant! Dum electio prælaturarũ inſtituitur (uti ex lege in pluribus ordinibus fit) vel dum conſpicua munia collaturi, ſunt Superiores ſubditis (quod fit in omnibus) contingit non raró, ut ad illas capeſſendas, vel hæc obtinenda, ingentibus non unus pro ſe deſiderijs agitetur, viasq; quærat varias illa capiendi, & alios quandoque digniores, ab illis amovendi. Ac hinc conſurgunt inter fratres, ſimulationes fraudulentæ, hypocriſes tectæ, tum etiam aperti livores & odia, dein charitatis mutuæ detrimenta per æmulationes, ſciſſiones, cenſuras, criſes; quibus competitores & ſe ipſos dirè conturbant, & communitatem

Ambitio gravium diſſenſionum cauſa.

domûs, interdùm Provinciæ integræ,ac etiam ordinis totius inquietant. Servit ſanè illis illud Stoici: *æſtuant miſeri, modo in hunc, modo in illum reſpiciunt*, qui ſe juvet, qui ſe promoveat: ac dum jam in ſpe ſunt voti, adhuc tamen anguntur, quòd tardè illis mitti videatur, quod cupiditates ſuas irritat. Pareamus per DEUM Religioſi! vel monito Ethnici Philoſophi. *Secedamus ab iſtis ludis, & demus raptoribus locum: illi ſpectent bona iſta pendentia; & ipſi magis pendeant.* Receſſimus è ſeculo, recedamus etiam à ludis ſeculi, & demus raptoribus locum, qui quærunt quæ ſua ſunt, prout mundus illos edocet. Nempe mutatis tantum objectis non impellamur deſideriis & curis, ad faſtigia, muniaq; celebria ordinis, paribus iis, quibus aguntur ſæculi homines, ad ſuos magiſtratûs & ſubſellia. Nam ſi ſecus egerimus, turbulentam, anxiam, moleſtam, & arduam in Religione trahemus vitam. Solum DEUM quæramus, & intendamus, ſine ambitu, ſine deſiderio, munerum digniorum; nec accurramus ad illa per noſtros ſolertes & induſtrios conatus; ſed ſi ad nos ſe devolverint non provocata à nobis, acceptemus illa ex obedientia & DEI voluntate (ſi illa in modeſta humilitate excuſare non placebit) & non ex noſtra cupiditate; ac protunc omnis perturbationis expers noſtra religioſa fiet vita, recenſebimus annos in Religione ſine faſtidio, ſine nauſea, ſinè tædio, ſed cum ſumma mentis & animi malacia; abundabimuſq; ſolatiis ſemper, procul à nobis omni mærore ablegato, verificando in nobis effatû Sapientis: *Non contriſtabit juſtum quidquid*

Religioſi honoratiora munia non curent ut pacatè vivant.

Prov. 12. 21.

quid ei acciderit. Sive enim promoveamur ad ſpecioſa, ſive in humilibus relinquamur; ſive præcedamus alios eminentiâ munerum, ſive á longè ſequamur (& ſi pares, aut inferiores hi ſunt talentis, virtute, ætate, rebus geſtis) minimè iſtud nos conturbabit, dum DEUM ſolum quæremus.

MONITUM X.

In hoc totus eſto, ut omnia & ſola, quæ cupit DEUS fideliter exequaris.

MOnitum hoc conforme eſt monito Apoſtoli dicentis. *Ut filij lucis ambulate: probantes quid ſit beneplacitum DEO, & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.* Operibꝰ itaq; tuis omnibꝰ lucem quære, & in lumine te, vitamq; omnem dirige. Hæc autem lux tua non eſt alia, niſi voluntas DEI; hanc ergo ſemper ſequere, huic te conforma in omnibꝰ, & illuminabit te CHRISTUS meritis in terris, in Cœlo veró ſublimi ſplendore gloriæ. Si veró conformabis te operibꝰ cupiditatum tuarum, mundi deſideriis, carnis propenſioni, infructuoſa quævis tua (etſi præclara videbuntur) reddentur facta, nam extra lucem, nempe voluntatem Divinam peracta, adeoquè in tenebris. Cœcutimꝰ planè dum noſtram voluntatem non Divinam ſequimur, & errabundi, veluti in cæca & tetra nocte, in vita mortali progredimur, nec nos ipſos noſcentes; nec

I.

Eph. 5. 9. 10.

Erramus dũ DEI voluntatem non ſequimur.

noſtra

noſtra bona. Lucianus fabulando, voluit Pompeii animam ſtellis inſerere, quando illi Achillas, hôc ſolo latrocinio notus, caput á corpore reſecuerat, quippe ſerò nimis eum facit ex æthere oculos ad terram declinantem, videntem ibi & deridentem ſuas injurias, quæ in ejus infauſtum corpus exercebantur. Evolavit, ait ille, *Magni illius animus, ad Cœlum, ubi communis eſt Heroum manſio, ſub lunæ circulo, ubi converſis deorſùm ad nos oculis.*

- - Vidit quanta ſub nocte lateret
Noſtra dies: Riſitq; ſui ludibria trunci.

Voluntati DEI nos conformando, omnia quæ nobis evenient, læti ſuſcipiemus.

Quod hic fabulosè narratur, verè dici de nobis poterit, ſi mentem, noſq; cum hac, & omnia noſtra elevaverimus ad DEUM, ac hujus *Sanctiſſimum* benèplacitum. Videbimus enim quanta ſub nocte laterent, & lateant vitæ noſtræ dies, qui non fuerunt DEI voluntate ordinati; ridebimuſq; non tátúm noſtri ludibria, quæ paſſi ſumus per ærumnas, & adverſitates in nos á DEO permiſſas; ſed etiam noſtros honores reſpectûs noſtri, favores & gratias nobis exhibitas, & quaſvis proſperitates; quibus cumulati eramus, dum illas noſtra voluntas avidè inveſtigaret. Ridebimus inquam hæc omnia,quia merũ nihil eſſe advertemꝰ & infructuoſã opera tenebrarũ. Videbimus & ridebimꝰ hæc| & in aliis qui propriæ voluntatis ſequuntur ductum, ſi eô repudiatô, ambulantes in luce voluntatis DEI, ut filii lucis DEO in æternitate felici conjungemur; nam ad lumen illud gloriæ, patebunt nobis vana & inania aliorum ſtudia, curæ, ſolicitudines, opera.

Nunc

Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem Cæli: quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare. Et quare laudat DEUM hic Monarcha? Laudat DEUM non tantùm ideo, quòd ſe throno reſtituerit, reductùm è ſtabulo, geminaveritq; opum & ſpoliorum ſuorum felicitatem; ſed etiam idcirco, quód ſe ejecerit è ſolio, quód armentis aggregaverit, quód mugientẽ cum bobus; ſeno paleisq; non tam paverit, quám torſerit, exultatq; in DEI voluntate, & ſe deprimente ad pecudes, & ſe erigente ad thronum. Exultemus etiam nos in hac, ſive nos ad infimá ſorté abijciat, ſive ad ſublimem evehat; nam optimè nobiſcum agitur, & æquè protunc, dum nos calamitas premit, & deprimit, ac dum extollit felicitas, quando DEI voluntas illam immittit, hanc donat. Proinde in proſperis & adverſis, æquè hilari ſimus animo. Quem adverſa cõtriſtant, conturbant, ad lamenta, & diras commovent, eſt omnino latroni ad ſiniſtram Chriſti pendenti in cruce, ſimilis: quippe qui & clavos in manibus geſtat, & in ore querimonias, indignationes, quandoq; & blaſphemias. Vexatur, & peccat: Divites quidem pereunt, ſed in byſſo; tales pereunt, ſed in nuditate. Inciderunt illi in Syrtes, á quibus præfocantur, ſed inter cytharas, illi verò ærumnoſe impingunt in cerberum, qui latrat, & jugulat. Siſara transfigitur ſed epoto lacte, & ſomnõ recreatùs. Aman verò æſtus inter & curas amiſſæ gratiæ, ſuſpenditur è trabe. Putabam hos roſas eſſe, quòd ſcilicet poſt ſpinas tẽporaneæ calamitatis, flores ederentur, nunquam interituræ fortunæ: verùm

Dan. 4. 34.

Adverſa pariter toleranda, per cõformitatem cũ volũtate Dei

Impatientes hæc ſuſtinẽtes latroni malo in cruce ſimiles

rhamnos eos esse deprehendo post dumos, aculeū progignentes. Quid igitur tantorum congeriē malorum arceamus? pendeamus in cruce ærumnarum, cum bono latrone à dextris Christi, non tam adversitate affixi, quàm DEI voluntate, in hac digna factis nos recipere reputando; dum verò felicitate mulcebimur, non tam hanc, quàm DEI manum liberalem amplectamur, illiusq; dispositionis, placitum nobis magis arrideat, quàm sors prospera, & evitabimus pericula salutis, sive in adversa, sive in felici sorte locabimur. Imitemur Redemptorem nostrum, qui dum sibi calix passionis á Patre per Angelum porrigeretur, sic orabat. *Pater si vis, transfer calicem hunc á me, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Videte, quàm raró & indissolubili fœdere, junctæ sibi sint: Mens Patris, & Filij voluntas! Petit quidem amarum calicem in svaviorem commutari, sed non aliter, nisi Patris voluntas, in hunc, illum transformet. Sed cur Patrem nominat, & si sibi ærumnarum & dolorum calicem propinet? *Nimirum, ubi de calamitatibus agitur non tam se Pater Deū, quā Patrē Deus exhibet. Deus est cū felicia permittit, Pater est cū amara exporrigit; felicia dispēsat providētiâ quadā cōmuni; at insvavia peculiari benevolētiâ immittit. Deniq; vētos procellas cōcitātes, è thesauris suis educit; pluviā verò passim fabricatur vel ex igne. Qui educit vētos de thesauris suis tanquā gemmas; is pluviam in fulgura facit; felicitatis & ubertatis fontem, ex quavis materia elaborans.* Attende adhuc, qua ratione á se deprecetur Salvator calicem, & amoveat. *Pater si vis, transfer, sed tua votas fiat,* Hinc & inde petitionem suam, DEI volunta-

te

Luc: 22. 42.

Adversa in nos Deus permittens, Patrem se erga nos exhibet.

Oliva Str. l. 13.

te communit. Non semel suffecerat vox præmissa: *si vis*; nisi etiam sequeretur. *Non mea sed tua voluntas fiat.* Porro quis vel venenum dilutum voluntate DEI, non ebibat? cùm apud tyrannum omnis cæna jucunda prædicetur, quamvis pro ferculis liberorum membra convivis apponantur. *Omnis cæna*, inquit Orator, *apud Regem jucunda est*, & jucundum non erit omne poculum, si Divina illud voluntas temperaverit? Ergo concludit idem Generalis noster, *non liquorem, sed pateram attendendam duco, nec quid propinetur observandum, sed quis propinet.* Sic *Job: Dominus* inquit, *dedit, non est cur vereamur calicem plenum ærumnarum; si Numen sit Pocillator, vel fimum, a radice arbori, ramisq; suppeditatum mutari videmus, in decorem, & dulcedinem fructuum. Iisdem stercoribus sordidatur ramus, & decoloratur pomum.* Dum de nobis cogitamus ipsi, providere nobis volentes bene; fallimur & decipimur, nam mala pro bonis eligimus, & arripimus. DEO nos itaq; planè committamus, qui optimè novit, quæ nobis prosint; ac in omnibus, & per omnia prodesse nobis vult. Audiamus loquentem de se apud Prophetam. *Ego scio cogitationes, quas cogito super vos, cogitationes pacis, & non afflictionis, ut dem vobis finem, & patientiam.* Scit ipse quid cogitet de te; scit cogitationes pacis esse, quæ tibi bellum inferre videntur. Dum tentationes permittit, quæ te inter diu noctuq; oppugnant, tunc cogitationes novit, non afflictionis esse, & si te afflictum, in summum adduxisse discrimen videantur. Dum te adversitatibus prosternit, & hic cogitationes pacis non afflictionis habes, licèt perditus videaris, malis te obru-

Adversa quævis voluntas Dei sua via nobis reddat.

Id; ibi

In bonũ nostrũ adversa cedunt.

Jerem: 29.11.

entibus. Allidit te, ut sublevet, ferit, ut sanet; fœdari patitur, ut ornet; denudat, ut nudatum induat coccô. De fimo ad solium; de pulvere ad purpuram; de cinere ad coronam erigit. Recordare Susannæ, quæ jam jam obruenda lapidibus trahebatur: verùm cùm interiturum nomen ejus videretur, splẽdidiùs refloruit. Memor sis Josephi, cujus pallium ab inquinata manu retineri DEUS permisit, ac propter illud compedibus eum tradi, & in carcerem intrudi; & ecce illud in purpuram Principis conversum est. Non affligit cum affligit DEUS, Pater enim misericordiarum est, & fons totius consolationis: dum ferit, miseretur; dum subtrahit solatia, repletq; te ærumnis; bonitatis suæ thesauros tibi aperit. Aurum cum in ignem conijcitur, ac in hoc dissolvitur, concrescit in vas, mensis Regum apponendum. Plurimæ pereunt spicæ, ut grana serventur in horreo. In arca custoditi nummi, ex hac extrahuntur, ut cumulatiùs redeant: & qui occlusi rubiginem contraxissent, extracti domô multiplicantur ad nitorem fortunæ. Calamus per vulnera, & per plagas, & docere discit, & scribere: Nigrore fœdatur, ut literas coloret; secatur, ut sapiat, felicior vulnere, quá plumâ, quasi moritur incisus, ut vivat: nisi exsectus ferrô, non parit. *Sicut rubus ardens Moysi ostensus, consumi videbatur, nec consumptus est! ita homo resignatus, licèt per varias tribulationes affligi videatur, revera tamen non affligitur. Sicut tres pueri in Babylonica fornace, ignem quasi ventum roris flantem experti sunt, ideoq; DEUM laudabant; ita, qui voluntatem DEI, suæ unitam habent, omnes tribulationes suaves & jucundas experiun-*

Rodrius P. I. Tr. 8. c. 4.

Id. ib.

riuntur, ac pro iisdē DEUM benedicūt. Audi apud Thomam à Kempis Dominum te á mæstitia, in afflictionibus revocantem, dum putas cogitationes afflictionis esse, quæ pacis sunt. *Quare vano mærore consumeris? cur superfluis curis fatigaris? sta ad beneplacitum meum & nullum patieris detrimentū.* Respice Divinā volūtatē, & agnosces, cogitationes amarissimæ afflictionis, esse cogitationes dulcissimæ pacis. *Si mens in DEUM forti intentione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum fit, dulce æstimat; omne quod affligit, requiem putat: transire & per mortem appetit, ut pleniùs obtinere vitam possit. Ita te edocet S.* Gregorius. De imit. l. 3. c. 27. 53. l. 7. mor. c. 7.

P. Ludovicus monitum suum in se exprimens, quantopere cū Divina voluntate suam conjunxerit, magnô animi solatio, testatus ipse his verbis. *Gavisus sum defectibus naturalibus meæ personæ ac linguæ, & alijs. quia me DEUS illis ita voluit esse notatum. Gavisus tentationibus, quas patior, ac miserijs internis & externis; quia DEUS ita vult. Si DEI voluntas est ut mille annos vivam oneratus majoribus laboribus, ac tenebris internis & externis, dum modò ipsum non offendam, id volo. Mihi Cælum est, facere voluntatem DEI, cum ipsô Cælum in terra.* Crebrò id habebat in ore: *DEUM optimè scire, quid nobis expediat;* quæ verba tanto spiritu animare cōsveverat, ut ijs omnem animis audientium perturbationem in adversis, ablueret. Singulis diebus repetebat votum, á se brevi hac forma conceptum: *Fiat Domine in me, de me, pro me, circa me, & omnia mea, Sanctissima volūtas tua, in omnibus & per ómnia, nunc & in æternum.* 3. Vita l. 2. c. 3. §

P.

P. Balthasar Alvarez de se ipso testatus, quòd cùm aliquando quidpiam peteret à DEO, quod pro ipsius obsequio cupiebat, intellexit omnem perfectionem consistere in facienda voluntate DEI; & maximũ omniũ Sacrificiorũ esse Sacrificiũ, cũ eadẽ conformari: unde ipse se totis viribus huic studio dedit, & verò etiam, ejus perfectionem assecutus est. Dicere solebat: *Præcipuum omnis bonæ orationis fructum esse; dare DEO, quidquid ille à nobis petierit, magnaq; conformitate ei acquiescere in omnibus, quæ ipse de nobis statuerit.* Cuidam Religioso sic scripsit: *Cupis proficere, tuoq; orationi bene attendere, ut placeas DEO? permittas te ab eo gubernari, & incipias amorem: quem erga illum habes, in eo ostẽdere, quod sis cõtentus & pacatus, quandocũq; & quacũq; via, voluerit ille te ducere, & suscipe ab illo, quod ille dare voluerit, modicum, aut multum; aut nihil. Et crede, certè te magis placiturum illi, si gaudeas & tranquillus sis, cum tua paupertate, quamdiu te ille non eduxerit ex ea; quàm si obtineas imaginariam illam celsitatem.*

In cõformitate cũ volũtate DEI, perfectio consistit.

Etiam ab Ethnicis Philosophis, resignationem nostri plenam in DEI voluntatem discamus. Epictetus de se ipso scripsit: *Appetitum meum obedientem præbui DEO: vult ille me fabricatore; volo & ipse. Vult me aliqua re potiri; volo & ipse. Non vult, nolo. Mori me vult; mori igitur volo. Vir prudẽs ita rem considerat, hanc secus orationem init; si DEO se dederit; se iter tutò confecturum. Quid est illud dedere se DEO? ut quod ille voluerit, & ipse velit; & quod noluerit, & ipse nolit. Qui ergo istud fiet? quomodo fieret aliter; nisi considerata DEI voluntà-*

l.3. dissert c. 26.

luntate & administratione. Quid mihi dedit meum; & mei juris? quid sibi ipse reservavit? liberam voluntatem mihi dedit: & quæ in mea potestate sunt, ea nec impediri, nec prohiberi posse voluit. Et alibi idem. *Mihi quidem optabile est, á morte me invadi, nulla alia re, nisi voluntate mea curanda occupatum; ut perturbatione vacuus & liber dicere possim DEO; nunquid tua præcepta violavi? nunquid ad alia abusus sum facultatibus, quas mihi dedisti? num sensibus? num te unquam incusavi? num gubernationem tuam reprehendi? ægrotavi; quia voluisti; ægrotârunt & cæteri, sed ego volens. Pauper fui te volente; sed lætus. Non imperavi; quia tu voluisti: nunquam appetivi imperium. Nunquid me unquam hac de causa tristiorem vidisti? nunquid vultu minùs hilari te accessi? Paratus si quid mandes, si quid imperes. Hæc me cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem occupet mors.* Seneca de se ipso dixit. *In omnibus quœ adversa videntur & dura, sic formatus sum. Non pareo DEO, sed assentior; non quia necesse est, sequor; nihil unquam mihi accidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu, nullum tributum invitus cōferam. Omnia autem, ad quæ gemimus, & expavescimus, tributa vitæ sunt.* Ep. 96.

4. Legimus in Evangelio, quia *homo quidam vocavit servos suos & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alÿ autem duo, alÿ verò unum; unicuique secundùm propriam virtutem.* Matth. 25. 14 Quæcunq; nostra recensemus, bona DEI sunt, non nostra; nihil enim esse apud nos & in nobis potest, quod ab ipso nō processerit. *Sive* amplius, sive minùs nobis contulerit, æquè contenti simus. Dederit sanè aliis, quinq; talen-

talenta Dominus, duo alijs, & tibi non nisi unum; pari animô illud accepta, ac si plura in te profudisset. Sunt alij Religiosi non unô talento donati à Domino, adeoq; ad varia eaq; speciosa munia idonei, propter numerum & excellentiam talentorum. Tu unum talentum es sortitus, nec istud pretiosum: non te id circo invidia torqueat, non mæror consumat. Non reddes rationem de pluralitate talentorum, quæ non habuisti; sed de uno, quod possides; & si hôc accuratiùs usus fueris, quàm alij multis; plus mercedis feres pro uno, quàm alij pro multis. Infelix quidẽ servus fuit, qui unũ talẽtũ acceperat sed nõ ideo, quòd parũ, sed quòd aliquid erogandũ multiplicandumq; acceperit. Deniq; in tenebras exteriores damnatus conijcitur; non quòd ei tantùm unum fuerit talentum à Domino concreditum; sed quòd etiam uni geminando talento impar, sui Domini pecuniam in terram infodit. Ergo qui nihil pecuniæ acceperant servi, nec quæstioni subjecti sunt, nec ad tenebras damnati: is verò qui talentum acceperat, duobus quidẽ posthabitus servis, sed reliquæ familiæ gregi prælatus; ideo damnatur, quia & plurimis antelatus. Quot putas circumfusi sunt ei; ut unum eum & triumviris gratularentur à Domino designatum. Ultimus ipse sanè in triumviratu; sed in triumviris unus, quæ sors pluribus alijs servis non obtigit. Verùm gratulatio in eiulationem versa est; quando illi manicas aurum peperit; illaq; dextera onusta est ferrò, quam nummis oppleverat Dominus. Non gaudeas de uno nec de pluribus talentis; sed gaudeas quòd talentô recepto, seu illud sit majus, seu minus, correspondeas. Operam

Talentis à Deo nobis datis & si paucis cõtenti simus, reque utamur

cum

cum talento dato expendit DEUS, non hujus numerum. Quiesce vel in uno; si unum habes; dummodo tibi istud non sit otiosum.

5. Cum Samueli mandat DEUS constituendum populo Israelitico Regem; promptus voluntati Divinæ paret Propheta, non contrarium animi sensum verbô aperit, non in suam flectere Dominum sententiâ studet: & dixisse forsitan poterat. Ita DEUS maxime, hæc Samueli famulo tuo rependis præmia! Mihi fasces tollis & albentem canitie vultum, confusione immutas, depingis mæsto rubore. Quod mihi demeritum? quæ iniquitatis labes meum fædavit gubernium? Et quomodo postmodum affatus populum, dum huic Regem crearet; similiter compellare poterat Dominũ se Principatu exuentem. Nunquid Domine, *bovem cujusquam tuli, aut asinũ; nunquid quempiam calumniatus sum? si opressi aliquem? si de manu cujusquam munus accepi?* cur ergo eripis fasces Imperij? & pro me substituis aliũ, huncq; juvenem gubernij imperitum, & nonnisi regendis asinis in paterna domo assvetum, pro me sene, per tot annos, publico expositum, & longâ experientia regiminis, tam vastæ terræ, tantiq; populi, eruditũ? Nihil horum ex ore Prophetæ excidit: sed DEI voluntati protinus sine murmure, sine molestia, sine amarore, imò cum gaudio paret; quæritq; Regem, quem Dominus ad solium evehere vult, & illum cõstituit in fastigio, ipseq; tranquillâ mente, privatus in Domum suam secedit.

1. Reg. 9.12.

1. Reg: 12.3.

A sublimibus munijs adhumilia demotio, æquo animo ferenda, ex DEI voluntate.

O si Religiosi eam Prophetæ conformitatem cum voluntate DEI imitarentur! Sed invenies multos quos dum DEI voluntas per superiores intimata, ab-

officio honoratiori continuando amovet, se dirè exeruciant, mærore contabescunt, querelis Domũ ac Provinciam turbant, Præsides suos ineptis expostulationibus exagitant, & quandoq; indignationibus petunt; injuriam sibi, suoq; honesto fieri clamitant, deprimi se immeritò lamentantur; laborum suorum, meritorum, & ætatis respectum non fieri cóqueruntur: tum successores suos in officio, quibus istud cedere debent, acriùs perstringunt lingvâ & calamo: Juvenem sibi substitui, talentis imparem ex mero favore, indignantur; & aliis vehementibus, leges patientiæ & moderationis religiosæ longè excedentibus commoventur affectibus, quales videmus & sentimus interdum, utinam nec sentiamus, nec advertamus, unquam! Utiquè Religiose, eadem DEI voluntas te evexerat ad munus speciosum, quæ te ab eo avellit? utiq; non solùm è sublimi fastigio, honorem ei, & debitum amorem reddere potes, sed etiam ex humili? Non indiget sanè ad cultum sui, eminentijs nostris Dominus; sed agnitione, & impletione voluntatis suæ: quam utiq; habes in viliori munere. Utiq; in omnibus, de te, & circa te bonum tuum intendit DEUS Optimus? dum ergo te amovere ipsi placuit à conspicuo munere, bonum certè tuum in hac amotione advertit. Forsitan si in sublimitate stetisses diutiùs, & non te humiliâsset Dominus, incurrisses pericula salutis, dum tumor & fastus, in illa erexisset, in ruinam deprimendum.

1. Reg. 17. 4. Humiliat nos Deus, ut salvet cũ nõ unũ sua sublimitas perdidisset

Nosti, quia Goliath sua proceritate prostratus est: *Et egressus vir nomine Goliath, altitudinis sex cubitorum & palmi.* Unò si minor palmo Davidi occurrisset, excussus è funda lapis in irritũ abijsset. Fronte-

te mortem excepit, ſublimitate proditus perditusq; ſua. *Tulitq; unum lapidem & fundâ jecit, & circumducens percuſſit Philiſteum in fronte.* Eluſiſſet impetum ſaxi, ſi demiſſioris fuiſſet *S*taturæ. *S*uum illi faſtigium adverſatum eſt: *altitudinis ſex cubitorum & palmi.* In palmo cædes latebat, & quò videbatur ſecurior ab opprobrio, eò injuriæ vel maximè patuit. Noli ergo indignari, noli ægre ferre Religioſe, dum tibi proceritatem DEUS adimit, & te demittit; crede, quia per hoc te periculis animæ ſubducit; nam ſpiritus evectus faſtigio, ictui ſatanæ patuiſſet. Amplectere, & exalta potiùs Divinam voluntatē te deprimentem, ut te in Cælis extollat; abjectum te non puta: cùm feliciùs ex humili, aſſurrectura ſit tua virtus & gloria. Non conſidera, quid agas in Religione, & ubi agas; ſed in hoc totus eſto, ut ea agas, & ibi, quæ DEUS vult ut agas, & ubi agas, fideliterq; exequaris Domini tui voluntatem.

MONITUM XI.

Si DEI continuò recordari deſideras; cura, ut tui ipſius obliviſcaris.

MEmoriæ DEI, cum ſui oblivione, exemplum habemus clarum in Regio Propheta, ſic de ſe loquente. *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Planè oblitus eſt Monarcha hic, potentiſſimus ſuæ Majeſtatis, ſuæ ſplendidæ fortunæ, ſuorum præclarè factorum, ſolatiorum &c. ut DE- I. Ps. 50. 8.

I esset memor continuò. Et ubi Gigas DEI nomine prostratus? ubi corona delata imperii? ubi discerptus Leo? ubi filiorum fertilis Syllabus? Ist-hæc (inquit) temporaria & fluxa sunt, ego DEUM meum, qui est æternus recolo. Ut ipsius recorder cōtinuò, alia omnia mea è memoria eliminare debeo. Æstimavit prudentissimus Princeps, non se fore felicem & beatum, si temporalia animo & mente volveret, sed si horum abjectâ memoriâ, DEUM indesinenter cogitaret; nam superiùs dixerat: *Beata gens, cujus est Dominus DEUS ejus.* Non vocat beatam illam gentem, cui adsunt temporaria; sed hanc, quæ DEUM novit. Non beatam, quæ scribis & legis peritis ornabatur; non beatam, quòd Ducibus floreret & Regibus, quòd polleret imperiò; quòd pace frueretur, sed quòd cognitionem DEI haberet.

Memoria Dei beatos nos reddit.

Ps. 22: 12.

2\. *Veniat Dilectus meus in hortum suum*; clamat Sponsa. Quid clamas o Sponsa? Hortus tibi vernat, in quo mella, lac, & aromata fluunt. *Emissiones ejus paradisus, malorum punicorum.* Crocus & cinamomum, myrrha & aloe exundant. Virent lilia, manant aquæ; ad beatitatem deest nihil, omnis hic floret felicitas, cur ergo clamas? clamat; quia ille deest, quo absente, nihil habet, & si omnia habeat: & quo præsente etsi desint omnia alia, deest nihil. Veniat dilectus in hortum, alioquin hortus mihi convertetur in desertum; etsi hortus non erit, verùm desertum, hoc mihi convertetur in Paradisum, si Spōsus aderit. Opes nobilitas, eloquentia, eruditio, Sacri & profani honores, seculares vel Spirituales, aut Religiosi, plausus, æstimatio, gratiæ, favores &c. hortus sunt, sed si DEUS ex corde abscessit, si è

Cant. 5. 1.

men-

mente exclusus, teterrima sylva illa omnia fiunt. Felicior eram (dicere debet Religiosus) cùm incultus adhuc nullisq; ordinis ornatus decoribus inter tyrones versabar; quám nunc, dum sum Magistri titulô insignitus, donatus doctoris laureâ; dum Cathedras eruditione impleo, dum ad florentissimum & frequentissimum auditorem peroro. Ibi enim gerebam in mente DEUM, licèt indoctus, hic verò explico Tullium, Aristotelem explano, Aquinatem revolvo, arcana scripturæ interpretor; & DEUM dedidici. Quid mihi cum his, absente á mẽte DEO?

DEUM exquisivi manibus meis, nocte contra eum; & non sum deceptus, ait Regius Vates. Ut animô DEUM comprehendas, teneasq; affectuum tuorum manibus, noctis non diei, hoc grande negotium est. Noctem itaq; induc menti tuæ, quæ te, & omnia tua profundis oblivionis tenebris involvat; sic DEUM in mente tua, ac in corde tuo tenuisti, quidq; id splẽdoris sive naturæ dotes, sive talentorum cõspicuus usus, sive vulgaris famæ pretium, sive eximiè actorum gloria, sive tandem donorum DEI illustrium fulgor, tibi tribuit: totum hoc nocte oblivionis involve; ut DEUS in mente tua splendeat. Sin secus egeris, DEUMq; in animum tuum inducere non studueris, illis tibi collucẽtibus, diemq; reddẽtibus; decipieris; nam DEUM in hac die non invenies nec tenebis. 3. *Ps. 76. 3.*

Succedentibus, prosperis, Præpositus Pincernarũ, oblitus est interpretis sui: ait Sacra historia. Cùm Joseph cum præposito pincernarum detinetur in carcere, hujus ille somnium interpretatus est felici- 4. *Gen: 40. 23.*

ter

ter appromittentis restitutionem in gratiam Principis, primosq; aulæ favores, & fortunas, inter quas Pincerna ita memor fuit sui, ut liberandi de ergastulo amici memoriam abjecerit. Non aliter DEI memoriam eliminat, nostri tenacior recordatio inter prospera. Evecti honoribus, cumulati opibus, rari sunt, qui mente DEUM teneant; utpote absorpti sui memoriâ, obsequente sibi felicitate. Utinam & è Religiosorum animo DEUM non excludát, sublimes in ordine Magistratûs, conspicua munia, applausus & honor datus eruditioni! quod certè eveniet, si illi Religiosi, se protunc circumspicient, suaq; Religiosa contemplabuntur decora. Ut ergo Domini sui recordentur, in hæc, quæ splendidè agunt, non debent conijcere oculos, exemplò Apostoli, qui de se ait: *Quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea quæ sunt priora extendo me ipsum; ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Plures Provincias & Regna jam Paulus converterat, já & miraculorum famâ orbem impleverat, jam & umbram corporis sui prodigiosam fecerat; horum tamen insignium factorum suorum nequaquam memoriam tenet, extendens se ipsum, ad hujus cultum & amorem propagandum; hunc pro bravio supernæ vocationis suæ Apostolicæ habens, & pro meta intentionum suarum omnium, seipsò taliter neglecto. Hunc Apostolicæ vitæ tenorem secutus noster Indiarum Apostolus D. XAVERIUS, qui ut DEI recordaretur continuò cordibus infidelium inferendi, & deletis delubris, inter Gentes statuendi, se apud se oblivione tumulaverat. Nulla enim apud ipsum vitæ erat propriæ recordatio, quam cum Paulo periculo-

Felicitas tēporanea Deū ē mēte tollit.

Philip. 3. 13.

Præclarè factorū nostrorū memoriā non habeamus, ut Dei simꝰ memores.

riculis in mari, periculis in Civitate, periculis á falsis fratribus, periculis latronum, & alijs exponebat in numeris: nulla apud eum illius sustentandæ & conservandæ, per media, quæ natura exigit, cura; nullus, despectuum, contemptuum, opprobriorũ metus, quorum se statuebat metam, ut DEUM metam & finem haberet, ac incredulis nationibus statueret; ac si omnia extra se vibrarentur, nulla sitis, famis, frigoris, nuditatis ac aliarum quarumvis ærumnarum undiq; se obruentium fuga, in animo Apostoli, indesinenter DEum & ubiq; quærente. Nullus dignitatis, tituló legati Apostolici insignitæ respectus, nulla á continuis prodigijs sui æstimatio, sed in his minimè advertenti Apostolo. *Si* ejusmodi vestigijs non insistemus Religiosi, qui DEUM solum in animabus in nobis spectare tenemur, nostris obcæcati respectibus, commodorum, famæ, honoris, promotionũ ad sublimiora munia, id est superbientis animi culmina, utiq; DEUS in mente nostra non versabitur, exulabit á corde; per consequens & illum proximorum animis non faciemus incolam.

Dominus solus Dux ejus fuit; & non erat cum eo DEUS alienus. ait Sacer textus. Ut sit Dominus solus dux cogitationum & intentionum nostrarum, ipseq; plenè mentem nostram possideat; dij alieni ablegádi omnino, & proculcandi. Et qui sunt isti dij? dij hi sunt, de quibus Dominus: *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem quæ est in Cælo desuper.* Non adoramus quidem delubra; sed sculptilia quædam in mente nostra formamus, amore propriò ea frabricante. Insculpimus imaginationi nostræ similitudinem eorum, quæ sunt in Cælis desuper

5. Deut. 32.12.

Exodi 20.3.

per

Amor proprij idola quædam in mente nostra erigit, quæ ex illa Deum excludunt.

per, nempe quasdam nostri effigie rerum creatarum icones; & has amoris proprij picturas, terrenorum delubra, adoramus corde vanitatum avido, mente de commodis solicita, quasi ab hisce imaginarijs numinibus ultima Cœli beatitudo expectáda, excipienda foret; inde consurgit idololatria quædam, è mente DEUM excludens, nam Dominus consortes ejusmodi odit, aversatur: solus Dux & Rex cogitationum nostrarum; proinde si DEUS alienus admittatur, exulat ille protinus. O quàm frequenter sculptilia hæc vana, eliminant ex animo nostro DEUM! sculptilia vanitatum, opera manuum hominum, honoris, voluptatis, opum, famæ &c. impressa tenaciùs menti, o quàm sæpe ex hac DEUM excludunt! utinam & è Religiosorum cerebro, hunc nó perturbent, & è pectore! sed proturbant interdú. Nam etiam hi dum cogitant quæ sua sunt, DEum à se amovent. Contingit, ut Religiosus honesti sui rationem habeat, in munijs speciosis ambiendis, & solicitè procurandis & efflagitandis apud Præsides, per quæsita etiam serviliter patrocinia, ac instantias importunas; ac ut idem officia viliora spernat, ab ijsq; abhorreat; ut sibi idem vel alius plausum in actionibus majorem supra alios non tribui ferat ægerrimè; ut commoda & emolumenta temporalia ex laboribus suis circa proximos sectetur, & investiget, ut famæ suæ & reputationis exquisitam curam habeat. Hic certè tam vivacem sui memoriam retinens, & faciens sui ipsius sculptile in animo, DEI memoriam illi non imprimet. Eoq; deveniunt Religiosi, sculptilium talium artifices, delentesq; id circo imaginem DEI è mente sua, ut cum indignatio-

ne

ne loqui debeat de ipsis Dominus: *Quare ergo me* Jer. 8, 19.
ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis & in vanitatibus alienis. Timendum enim ne gratiæ illis efficaces subtrahantur ab indignante in eos propter illa sculptilia Domino; & ne ijs profundè animo impressis, ita DEI immemores efficiantur; ut abjecta etiam recordatione DEI per vota substantialia, quibus se ei obstrinxerunt, hæc rumpant, vel per ementitas causas excutiendo jugum Christi, vel per fœdam Apostasiam illud abijciendo, infames coram Cœlo è terra facti transfugæ á DEO suo.

6.

Solet esse quandoq; ita absurda memoria eorũ qui hanc sui fovent in rebus temporalibus, qualiter absurda fuit Jsraelitarum in deserto, qui de se dicebant. *Recordamur piscium quos comedebamus in* Num 11, 5.
Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt, cucumeres, & pepones, porriq; & cepæ, & allia. O quàm dedecens est hæc, Genté electá cogitatio! obliti Domini sui Jsraelitæ, qui eos ex durissima servitute Ægyptiaca, in manu forti & per plura prodigia omnipotétiæ suæ eduxerat, obliti ejus admirandæ, & liberalis munificentiæ, quæ eos in solitudine pavit cibô, Cælesti mannâ, svavitate & gustu miraculoso, omnes alios exquisitè conditos cibos, superante; recordantur vulgarium Ægypti piscium, & plebeijs esculentis mentem implent. Indigna sanè etiam est Christiano capite, cogitatio temporalibus immersa, quæ vitæ hujus, vilis & miseræ escæ recordatur, DEI immemor. Longè vili9 pabulũ etiam regiæ mensæ dapes sunt, respectu cœlestis mensæ ad quam vocamur á DEO, quàm fuerint rudes illi cibi porri, pepones, cepæ, allia, ad mannã escam prodigiosam

Bucolicismus Deum è mente eliminat.

comparati. Dolendum, quòd etiam religiosæ mentes apponant sibi ejusmodi insulsa & cruda fercula, ac DEum, in eoq; dulcedinem ineffabilem, illis infarcinati, non delibent. Turpe sanè est, religiosum caput oppleri his, quibus animalis homo & belluinus venter impletur, cogitando solicitè de cibo, & hujus condimentis, de potu, ejusq; blanditijs, ac lautitijs, & de adinveniendis irreligiosis industrijs, escas & pocula procurandi, occasionesq; captandi; quibus venter saginetur & exundet; dum tam abjectis escis, mens obruta, DEO Divinisq; quibus est peculiariter consecrata, ac quibus nutritur in vitam æternam, refici non potest; nullam famem Cælestium sentiens. Acriter tales Religiosos monet & reprehendit B. Petrus Damiani, dicens; *Noli frater noli gulæ, vel carnis deservire desiderijs, qui te militem spopondisti sobrietatis Authori. Pudeat te carnalium voluptatum esse vernaculum; nec collum tuum ingenuo Christi jugo submissum, vinculis se subjiciat barbarorum.* Ignominiosum quoq; est Religioso, si ejus mens, vanitatibus repleatur, famæ, honoris, æstimationis, promotionum ad speciosa munia, studio intenta, (quæ alimentum sunt inane animi, quô hic inflatur non augmentatur) ac idcirco spiritûs sui incrementis destituatur. Objurgat eiusmodi Religiosos & confundit D. Bonaventura, de adoratione Christi infantis à Magis, scribens in illa Sacræ historiæ verba: *Ubi est qui natus est*, ubi sic disserit. *Ecce Reges & homines seculares, Regni negotia intermittunt, & DEUM quærunt: quem tamen multi literati & aliquando Religiosi* mētē vanitatibus occupatā habētes, *negligūt. Sacerdotes nō dixe-*

Religiosi buccolici.

Ep. 24. ad quēdā Monach.

Religiosi vani, DEI, non recordantur.

Serm. 2. in Epiph.

dixerũt, ubi est Dominus? & tenẽtes legẽ nescierũt me. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum, loquitur de se Propheta. Ut figamus mentis obtu- 7.
tum continuò in DEO nostro, qui in excelsis habi- Isa: 38. 14.
tat; attenuandi sunt interni oculi, nec per creata dispertiendi objecta. Etiam jaculatores, ut feliciùs tangant scopum, ad quem collimant, unum claudunt oculum, coarctant alterum; ne quid suo visui occurrat aliud, quod eum à meta distrahat. Pariter procedendum nobis, ut mente DEUM speculemur, tangamus corde; attenuemus memoriam nostri, quæ est specula veluti rerum, ut eam comprimamus à nobis ipsis circumspiciendis, adeoq; à rebus creatis, quæ nos circumstant, aut circumdare possunt; quatenus per hoc in continuæ recordationis nostræ conspectu ponatur Dominus. Exemplum nobis hujus præbet S. Gregorius adolescens adhuc, postmodum Episcopus Agrigentinus in Sicilia, de quo Simon Metaphrastes memorat. Profectus ille erat Hierosolymam, ut veneraretur loca Sacra; ac tempore quadragesimæ secesserat in quoddam Palæstinæ Monasterium, ibiq; viderat Monachos rarâ in DEUM religione prœditos, quorum alij in Divinarum rerum commentatione, à terra in altum attollebantur, alij fontes lacrymarum inter precandum affundebant; atq; in vitæ puritate, morumq; honestate, videbantur Angeli; quibus exemplis Juvenis permotus, cæpit pudore ingenti suffundi, abijcere se, & amarè, superioris vitæ errata deplorare. Præfectus Monasterio Pater, animadvertens ex vultu ejusdem mærorem, existimans id evenisse quód longiùs à Patria amicisq; abesset, adjuncto sibi aliô Mo-

Abstrahendus mentis oculus à rebus creatis, ut DEUM contempletur

DEI præsẽtis memoria omniũ solatiorũ tẽporaliũ oblivionem inducit.

nachô, remotis arbitris, sic affari cæpit dictum Gregorium. Fili, ne animum nimio mærore obruas, confide DEO, brevi patebit reditus in solum natale. Sed respondit adolescens. Non ea causa mæroris est, quòd longè absim à conspectu meorum. Sola enim præsentis ubiq; DEI contemplatio, ad illum removendum mihi satis est; dum enim cogito, me continuò in ejus versari conspectu, satis solatij accipio: id verò unum me contristat, quòd hactenus non instituerim vitam homine Christianô, & verè piô dignam. Hôc responsô accepto Patres, ab eo digressi sunt, arbitrati non indigere eũ sua consolatione, quandoquidem tali exercitationi præsentiæ Divinæ esset deditus. Ita DEI præsentis continua memoria, oblivionem inducit sui, seq; concernentium, uti natalium, Patriæ, Parentum, consangvineorum, affinium, amicorum, fortunarum, & quorumvis temporalium solatiorum; eaq; mente non retineri ab ijs, qui DEI continuò recordantur; utq; DEI recordatio vigeat, illa eliminanda esse è memoria. Videmus id etiam clarè in S. Patre nostro Ignatio, qui sæpe de se ajebat: *O quàm sordet mihi terra; dum Cælum aspicio!* DEUM & Divina dum contemplabatur, procul ille amoverat terrena ab oculis; ita ut etiam ei sordere viderentur, dum mentem ad DEUM & Cælestia indesinenter dirigeret. Aversatus veluti sordes enormes, terrestria; ut DEUM semper præsentem in animo haberet.

MO-

MONITUM XII.

Memoriam tui conservabit DEUS; si tu tui memoriam voluntariè abjeceris.

PAtet luculenter effati hujus veritas in Abrahamo Patriarcha. Obtemperavit mandato Domini sibi taliter intimato. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de Domo Patris tui.* Recessit e patria, natale solum reliquit, cognatorum, charorum turbam deseruit, Paternâ excessit domo, cuncta à manu, á pectore, á memoria, á se amovit, sui prope oblitus Abraham: & interim ea sui oblivione, quantum sibi in DEO memorem conciliavit animum? testes Sacræ paginæ, ita Domini sermonem ad Abraham facti perscribentes. *Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi; atq; in te benedicentur omnes cognationes terræ.* O quám munifica, quám magnis muneribus referta, recordatio á Domino, Patriarchæ! dum hic recordationem sui abjecit. Dũ nó considerat, nec perpendit, unde abscedat, quó vadat, á quibus se amoveat, ad quos accedat, quæ relinquat, ad quæ se conferat, quæ possidebat in Patria, & quæ ipsum maneant in terra aliena, planè immemor sui effectus; beneficentissimam & locupletissimam, omniq; benedictione & bonô abundantem, assumit DEUS illius memoriam. Adhuc postmodum profundioris, adeoq; perse-

I.

Gen. 12.1.

Ib. 2.3.

perfectioris oblivionis sui ipsius, idem Patriarcha dedit documentum. Accepit mandatum Domini inexpectatú, & nimis (si Domini tantûmodo imperia spectes, non etiam misericordiam) acerbum: *Tolle*
Gen. 22:2. *filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atq; eum offeres, ibi in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Quid ad hæc Abraham? Forte tam acre & vehemens imperium in ubertimas lacrymas oculos ipsius solvit, cor concitavit in suspiria, pectus in gemitûs, os in lamenta & planctus lugubres. Ergo prociduus in terram, deprecatus à Domino crudelem teneræ ætatis lanigenam, quâ cor suum sauciaretur dirissimè, viscera dissecarentur immanissimè. Ergo plorans ac gemens, oravit ad Dominum. O Domine mi (inquiens) obsecro te non facias ex me Patre crudelem filij carnificem. Absit, ah absit! quæso, ut meo gladio, Paternaq; manu, cadat unicus filius, adeoq; unicè dilectus, amor & deliciæ meæ, spes, & columna domûs. Si de sangvine meo holocaustum exigis, prosternatur potiùs ferrô, amantissima consors mea, vel ego ipse illius ictui subijciar; innocenti autem Jsaaco parce teneræq; ejus ætati, ac in hac nomen meum conserva, me deletô. Nihil horum egit Abraham, dixit nihil. Sed protinus, ne verbô quidem se excusans, ac moram nectens, abruptô suô, filijq; somnô, exequitur imperantis voluntatem celeriter, alacriter.
Ib. 3. *Igitur Abrahã, de nocte consurgens, stravit asinũ suũ ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum. Cùmq; concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum, quem præceperat ei DEUS.* Oblitus sanè hic-

Patri-

Patriarcha se esse Patrem unici filij, oblitus Paterni erga unigenitum affectûs, in quo spes tota fortunaquè domûs recumbebat, oblitus sui nominis posteris porrigendi, ac propagandi, oblitus, se non posse jam fieri in gentem magnam, uti præcisâ in Jsaaco stirpe; oblitus magnificentiæ suæ domûs, quæ tota in unico casura esset filio; oblitus solatiorum, quibus fruebatur, ex prodigiosè donato sibi, post plures annos sterilitatis, eximiæ indolis successore. Dum autem ita totaliter memoriam sui abjecit Abraham; o quomodo memoriam ejus conservat DEUS! Dum jam *extendit manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium;* omnem cum vita hujus memoriam, ante ictum præscindens, detinetur manus ejus per Angelum inclamantem: *Non extendas manum tuam super puerum, neq; facias illi quidquam: nunc cognovi quòd times DEUM, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Recipitq; unigenitum incolumem, ac in hoc solatia majora ex eo, cùm videt à morte jam jam imminente liberatum; & quasi denuo natum, ad summum Patris gaudium, majus priori, dum esset editus in lucem. Nec hic stetit benevolentissima memoria Abrahami apud DEUM. *Vocavit Angelus Domini Abraham, secundò de cælo dicens. Per me metipsũ juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut Stellas cœli, & veluti arenam, quæ est in littore maris; possidebit semen tuũ portas inimicorũ suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* En quæ, quanta, & quot conferuntur Patriarchæ! quòd sui memoriam abjecerit, ut DEI ejusq;

Ib. 10.

Ib. 12.

Ib. 16. 17. 18.

jusq; mandati recordaretur. Pro uno filio, quem immolare voluerat, progenies innumera tot successorum, quot Stellas Cælum recenset, conspicuorum toti orbi, ut luminaria Cœli, illi donatur, & posteritas numero arenæ maris computanda ipsi tribuitur, insuper huic Provinciæ & regna hostilia cum suis urbibus conferuntur, & benedictio in illa omniũ gentiũ terræ. O quàm memoriam nostri conservat Deus, dũ nos memoriá nostri abijcimus!

2. Relucet nobis hujus edicti exemplar evidenter in Angelo nostro Polono Divo Stanislao Kostka. Planè ille oblitus sui erat, & se concernentium. Oblivioni dederat natale solum, Jllustrissimos Parentes, & horum erga se amorem, tum inclytæ domûs decora, opimas, quæ illum præstolabantur fortunas, honores, qui nomini ejus, & dotibus præclari animi, parabantur; nec etiam recordatus, splendidissimi sangvinis, sericô & purpurâ nonnisi vestiri soliti. Nam omnibus illis obliteratis, vestem etiam, quæ juxta decorem familiæ suæ se exornabat, exuit; ac ejus abjecit memoriam, vilemq; plebeij pueri lacernam induit. Non recordatus quoq; asseclarũ, quibus stipari illũ cōveniebat; rhedarũ, quibus vehi debuerat: Solus mědicabuli more, pedestre iter Viennâ Romá usq; arripit, ac ibi inter Religiosas umbras, in profundiori oblivione, se, suæq; domûs conspicua insignia sepelit. Taliter autem sui obliti Stanislai quomodo DEUS assumit memoriam, videamus. En pro ephebis, Angelorum cingitur ministerio, locò Procerum sangvine junctorum coronæ, Divorum ac Reginæ universi donatur præsentiâ. Insuper infans DEUS, ex ulnis SS. Matris,

In Divo Stanislao Kostka moniti hujus elucet veritas

illi-

illius innocentes exambit manus, in eodem cum illo lectulo deponi gestit. Tum in itinere Angelos habet Duces & Comites. Pro abjecta autem tunica, & obscura religiosa toga, veste gloriæ splendidissima induitur; ad solemnem, MARIÆ mundi Dominæ, Cæli ingressum, assumitur ab eadem: ibiq; pro honoribus Jllustrissimæ domûs, æternos, inter Divos recipit. Nec manet in terris inglorius. Sublimem Beati titulum, à Sancta Sede, brevi post fata obtinet, Patriæq; suæ principalis Patronus proclamatur, splédet in Aris utroq; orbe, claret prodigijs ubiq;, Pàtriæ suæ in arduis bellorum conflictibus fert auxilium, curru Cœlesti vectus cum Regina Cælorum, super exercitûs suæ Poloniæ; quibus victoriam de Barbaro hoste tribuit, centenaq; aliquot millia armorum Bistoniæ, parva Polonorum suorum manu profligat. Tum ovantes Lechi, ejus effigiem inter triumphales ignes, & reboantia tormentorum tripudia deferunt, in portis suarum urbium, & in turribus locant pro præsidio: Tandem Clemens XI post diligens Sanctitatis scrutinium, ejusq; documéta patentia, per decretum Canonizationis Sanctorũ Confessorum albo inseri illum mandat. Applaudit ubiq; publica gratiarum actione DEO, & gratulatione suo Indigeti Regnũ Poloniæ, & magnus Ducatus Litvaniæ. Ad Aras illius provolvuntur Reges, prosternuntur Principes, abijciuntur Proceres; omnisq; statûs suum peculiarem Patronum adorat; vota appendit, beneficia recipit vitæ & fortunarum. Gratis sanè scripseras, filio tuo Stanislao Joannes Kostka, Castellane Zakrocimensis, Divinissimi Juvenis Genitor, quasi Domum tuam illustrissimam splendidi-

didiffimumq; Koftkarum Nomen fædis tenebris involverit, ac confpurcaverit; eò quòd oblitus Genitoris fui, exutô filio Senatoris, & tantæ Profapiæ debito decore, lacernam induerit, & pedeftre iter Romam emendicata ftipe, & per obfequia viliffima quæfitâ alimonia, confecerit; tum quód veftem Religiofam umbratilem affumpferit. En vides, quàm celebrem illius habeat memoriam DEUS in Cœlis & in terris, dum ille fui pro DEO fuerat oblitus. Vetufta tua domus fulget Præfulum Tiaris, fplendet confangvineis Imperatorum Regumq; coronis, radiat Principum Mytris, illuftratur Senatorum purpuris. Et ubi hi funt? ubi eorum fplendores? Non retinentur in memoria Antiftites è Koftkarum familia, non plurimi Senatores Poloniæ, quorum etiam fimul uno eodemq; tempore, duodecim numerô, implebant Curules. Evanuit memoria eorum. Stanislai autem Koftka adolefcentis adhuc, nomen, claret, celebratur, & colitur orbe toto, jam fecundô feculô. Nôrunt illud non tantum Regna Europæ, fed etiam vaftiffima Imperia orbis fuppedanei. Innotuit non folùm, eruditis, maturæ ætati cultæ; verùm etiam rudes & plebeij pueri puellæq;, Koftkam tenero ore deprædicant, ac invocant. Non poterat clarius reddi Jlluftriffimum Koftkarum genus, quàm dum ita per Stanislaum Koftka inclaruit. Ergo abforbe verbum Pater, quod inconfulta indignatio tua extrufit in paginam. Non fœdavit Profapiam Koftkarum Stanislaus, fed plurimùm exornavit, fui inglorié oblitus pro DEO; nam DEUS celeberrimam memoriam ipfius retinet, fovet, & late diffundit. Simile quid nobis futurum

cum

cùm tumulabimur in oblivionis tenebris, nam pro tunc per memoriam nostri à DEO, conspicui reddemur. E noctis tetra caligine consurgit Phæbus Serenissimus; ex obscuris terræ cavernis, auri argentiq; nitidissima metalla eruuntur, è profundo æquoris, undarum cooperto vorticibus, gemmæ candore suo pretiosè splendidæ, eruuntur; è cæca humi voragine, prodeũt adamãtes, ad decorãdas & illustrãdas Regũ coronas; liliũ sepultũ in pulvere explicat folia nitidiùs, & odorem diffundit; grana seminis ut in messem, viriditate primùm, tum candore conspicuam excrescant, cooperiuntur limô & fimô ab agricola. Tumulemur in oblivionis profundo, & umbris ejusdem involvamur, ut memoriam nostri, quâ radiemus in cœlis & in terris, assumat DEUS.

3. *Iacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*; monet David. Torquetur memoria nostra frequenter curâ de nobis ipsis, cogitationum anxiarum tumultu de nostris rebus conturbamur, nihilq; ex inde conducens nobis elicitur. *Cogitationes enim mortalium* de se ipsis, *timidæ; & incertæ providentiæ nostræ*. Sed si omnem memoriam nostri rejecerimus, & curam cogitationum nostrarum in DEUM jactaverimus, *ipse nos enutriet* alimoniâ cœlestium, gratiarum suarum, & svavitate dulcedinis spiritûs, torrenteq; voluptatis potabit; ut crescamus in viros perfectos, & ad sublimem in Cælo gloriam evehamur. Quodsi ad incrementum perfectionis desiderari adhuc in nobis multa vel plura advertuntur, istud hinc provenit; quia nondum planè memoriam nostri & cogitationem amovimus, nec ex integro

Ps. 54. 23.

Sap. 9. 14.

hanc in DEUM transtulimus. Contemplentur se ipsos seculares; & dum se in virtutibus Christiano nomine dignis non augmentari conspicient, videbunt certè tenacem & solicitam sui apud se memoriam, quœ augmenta virtutum impedit. Et sic apud hos humilitatem Christianam, honoris sui recordatio non admittit; cogitationes anxiæ circa opes & fortunas; spé vivâ & desideria Patriæ Cœlestis extingvunt; mens agglutinata consortibus vitæ & liberis, alijsq; temporaneis solatijs; amorem DEI sincerum non patitur; consideratio boni proprij vividior, amorem proximi excludit. Et in Religiosis incrementa perfectionis, statui & vocationi horum debitæ; hæc eadem sui memoria, reddit modica, vel nulla. Non jactat totaliter cogitationum suarum curam Religiosus in Dominum, cui se ex integro consecravit, ac plebeius servus DEI efficitur. Lamentatur super tales Oliva, dicens: *Multi in Religione, non pubescunt, media licèt æstate: quod reculis opacati ad frugem coqui non possint. Doleo, tantillis nos rebus á consecutione summi boni, disturbari.* Strom: l. 16. *Ut Gigas, non molâ, sed lapide, ut simulacrum Babilonicum, non monte, sed lapillô, conciderunt.* Excludamus minutias temporanearum cogitationum é mente nostra, ut DEUS hanc totaliter occupet; eiq; soli adhæreamus juxta vocationē nostram.

MONITUM XIII.

I. *Plus studij colloca in mortificatione, quàm in oratione, quia mortificationis expers, orationem*

quæ

quærit, nec invenit: verè autem mortificatum ipsa quærit & invenit oratio.

VOcaverat ad se Sponsam Sponsus, clamans: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ; ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Cant: 2.14. Quò, & unde dilectam suam vocet? Attendite. Vocat illam ad conspectum sui, & ad sui alloquium; vocat autem in foraminibus petræ hærentem, & in caverna maceriæ habitantem. Unde colligite: quòd ut dilecta Deo anima ad hunc accedat, per ejus contemplationem; in foraminibus duræ petræ & in caverna maceriæ residere debet. Nimirum hoc studium primum tenetur habere, ut se per duriora affligat, & in maceriæ cavernis exerceat; tunc enim quæret ipsam & invitabit Dominus ad commerciũ secum intimum per orationem; loqueturq; ei cum affectu, & fiducia; ac cum ea morabitur, solatijs eandem replens. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Cant: 3.7. Admittuntur ad lectulum Salomonis non alij, nisi qui in prælijs exercitati, & ad bella expediti, *tenentes gladios.* Ut scias; ad quietem internam per svavitates contemplationis, non admitti à Salomone, Sapientia videlicet æterna, nisi eos, qui cum suis passionibus præliantur, & cum corpore suo; ac evaginatos habent gladios ad prosternendas inclinationes pravas, & sensûs carnis feriendos. Hinc accuratum nostrum studium sit, ut viriliter contra no-

ſtros, animi & corporis motus decertemus; quatenus per hoc ad lectum Salomonis admittamur, ſcilicet ut in devota cum DEO quiete perſiſtamus. De filijs Jsrael refert Sacra hiſtoria, quia *proſtraverunt*
Judit. 7. 4. *ſe ſuper terram, mittentes cinerem ſuper capita ſua, unanimes Orantes.* Perpende, quod ut orarent Deum, priùs proſtraverũt ſe ſuper terrã & cinerẽ ſuper capita aſperſerũt; nõ autẽ oraverũt prius, tũ ſe proſtraverũt & cinerẽ ſuis capitibus infuderũt. Nã nõ orationẽ mortificatio, (per quã proſternũtur ſẽſuũ illecebræ & animi propenſiones inordinatæ) ſequitur, ſed proſterni iſta neceſſe eſt primò, ut ad orationẽ accedas; & in cinere mortificationis debemus cõfũdi,
Gen. 18. 27. antequã cũ Domino in oratione agamus. Ita egit Abrahã, dũ diceret: *Loquar ad Dominũ, cũ ſim pulvis & cinis.* In cinerẽ ſe quodã modo redegit Patriarcha,
Pſ. 10. 17. per mortificationis exercitiũ, ut ad Dominũ loqueretur. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus*, ait David. Pauperes fiamus, ut nos Dominus exaudiat. Nimirum: deſideria cordis, & oblectamenta carnis, quæ abundant in nobis, repudiemus ante orationem, ut hæc fructuoſa reddatur.

2\.
Pſ. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ: & volabo & requieſcam.* Evolemus ad thronum altiſſimi, per orationem & per ſublimes contemplationes, ad eum feramur, ut in eo quieſcamus. Et unde alæ
Serm. 3. in Epiph. ad tam felicem volatum? Præbet has nobis S. Bernardus, dicens: *Duas alas habet oratio: contemptũ*
Alæ orationis per quas evolamus quodã modo ad Deũ quæ ſint. *mundi, & afflictionem carnis.* Contemne & abijce mundi deſideria, ejuſq; ſolatia, & afflige carnem tuam; tunc volabis ad DEUM per orationem. Hinc orationes illorum, qui ſeculo adhærent, vanitatibuſq; ejus; in labijs tantum ſubſiſtunt, cor autem

co-

eorum longè eſt à DEO. Et illorum deprecatio, qui carni ſuæ indulgent, in terra illos depreſſos facit; cumq; orare, adeoq; ad DEUM mente volare videntur, humi ſerpunt. Et tales ſunt orationes illorum, qui delicijs carnis & commodis immerſi, hanc molliùs tractant. Dolendum; quia & Religioſorum non nullorum orationes eos ad DEUM nó elevant. Id ex eo provenit, quia & hos ſecularia deſideria, & carnis aggravant. Vacant pſalmodiæ in choro, contemplationi præſcripta tempora impendunt, ad Altare ſacrificát; en volant ad DEUM: non volant etſi volare videantur, quia orationum ſuarum alis deſtituti ſunt. Paſſiones enim iræ, indignationum, ſuperbiæ, jactantiæ, ſtudij vanitatum in munijs religioſis, curæ eminentiarum &c. apud illos nec edomitæ, nec compreſſæ; item corporis commoda, & quæſita ſtudiosè, & admiſſa libenter, alas ipſis ſubtrahunt, quibus ad DEUM evehantur. Oratio illorum, nomen habet orationis, non rem, quia alis ad Superos deſtituitur: orant quidem, quia debent; & ut videantur ab hominibus; non orant autem, nam mente & ſpiritu ad DEum non elevantur, Eloquium eſt S. Spiritus: *oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.* Nubes hæc impediens orationis tranſitum ad DEUM, juxta V. Bedam & alios, eſt tunc, *cum caligine cæcitatis mens obruitur, ne radiô Divinæ contemplationis illuſtrari mereatur.* Et unde iſta caligo, & nubilum cæcitatis? niſi ex immortificatis paſſionibus & corpore. Obnubilant mentem, caligine replent animum inordinatæ affectiones, & corporis illecebræ, ac hunc comprimunt, ne ad ſuperna aſcendat. Ergo

Paſſiones indomitæ impedimentum orationis.

Tren. 3. 44.

go has nubes removeas, deleas caliginem; & tum demum DEO per orationem conjungeris: aliàs, si in illa nube & caligine persistendo, ad orationem te conferes, hanc non invenies, nube autem & caligine remota, ipsa te oratio inveniet.

3 Orat Propheta ad Dominum, dicens: *Audi nunc* Baruch. 3. 4. *orationem mortuorum Israel.* Et qui sunt isti mortui, pro quibus, & cum quibus, fiducialiter precatur Dominum Propheta? Mortui hi sunt, illi, de Colos. 2. 20. quibus loquitur Apostolus: *Mortui estis cum Christo, ab elementis hujus mundi.* Scimus, quatuor humores, similes quatuor elementis, in composito physico humano reperiri. Phlegma, enim est humor aqueus, sangvis àëreus, melancholia terreus, cholera igneus: qui ergò volunt esse mortui in hac vita cum Christo; ab his quatuor elementis mori debent; nimirum ut non vivat in illis dominium dictorum humorum; ac hoc est negotium nostrum singulare, omninoq; necessarium, ut mortificatos, & veluti mortuos, humores dictos in nobis reddamus: ad quod consequendum, etiam caro ipsa receptaculum nominatorum humorum, mortificatione indiget per jejunia, vigilias, & alias macerationes; nam dum ipsi indulgetur, humoribus abundat. Ut ergo accedas ad orationem, loca prius studium tuum in mortificandis humoribus tuis, & carne tua; si enim neglexeris mortificationẽ ejusmodi, orationẽ dum quæres, non invenies; si verò te mortificaveris, ipsa te quæret, & inveniet oratio. Non enim potest conjungi DEO per orationem mens, illis humoribus bullientibus, turbata & distracta: compressis autem illis & veluti mortuis redditis, sponte sua adamatur DEO animus,

In

In meditatione mea exardescit ignis, agit de se Regius Vates. Ignis est oratio; quia accendit còr amore DEI; inflammat ad hunc concupiscendum voluntatem, illuminat ad eum agnoscendum intelle-ctum. Ignis est oratio; quia tanquam leones ignem spirantes, ab ea recedere debemus, cum zelo animarum, & cum fervore spiritûs in actionibus quotidianis. Ignis est oratio; quia in hac nos DEO Sacrificamus, & in flammis holocausti eidem consecramus. Sed ut talis evadat, nempe ignea, debet ejus incendijs pabulum provideri. Quod istud erit? Non aliud, nisi passiones nostræ & caro nostra. Videmus autem, quòd ut ligna faciliùs & vehemẽtiùs ignem concipiant, scindi & exsiccari debeant; quod si non fiet, plus fumi, quam flammœ producent, brevi extingvendæ. Simile quid agendum cum passionibus & carne nostra, ut ardeamus in oratione; amputari debent passiones, & scindi caro macerationis ferrô: exsiccari etiam debent timoris & amoris Divini radijs eædem passiones, & caro maceratione ab abundantia humorum: & in hoc curá ponamus necesse est majoré, quá in oratione; quia hæc, carne illæsa, integrisq; passionibus nó reperitur, carne autem cæsa & passionibus resectis, ipsa nos oratio reperit, & dirigitur sicut incésũ in cóspectu Dei

4. Ps. 38. 4.

5. Ps. 33. 5.

Exquisivi Dominũ & exaudivit me, ait David. *Hinc S. Chrisost: infert. Qui ergo nõ exaudiũtur, nõ Dominũ quærunt.* Et ultra differit. *Intendat charitas vestra. Nõ dixit; exquisivi aurũ à Domino, & exaudivit me Exquisivi senectutem á Domino, &c. Exquisivi hoc aut illud á Domino, &c. Aliud est inquirere aliquid á Domino aliud Dominũ ipsũ exquirere. Exqui-*

 sivi

ſivi, inquit, Dominum. Ergo noli á Diomno extra hunc quærere, ſed ipſum Dominum quære, & exaudiet te; & adhuc te loquente, dicet: Ecce adſum, ecce præſens ſum: quid vis? quid á me quæris? quidquid tibi dedero, viliùs eſt, quàm ego: me ipſum habe, me fruere, me complectere. Unde ego moniti à me propoſiti deduco veritatem. Dum amor proprius non eſt mortificatus in nobis, Dominum per orationem non inquirimus ſincerè, nec eſt oratio protunc exorans Dominum, ſed potiùs nos metipſos & noſtra, ſolicitudo inveſtigans. Tales ſunt orationes, mundo, inordinatè, ejusq; ſolatijs, adhærentium. Precantur ſibi concedi longam vitam, liberos donari, vel conſervari, fortunas augeri, aut foveri &c. ac pro his impetrandis ſacra loca adeunt, ad imagines miraculis celebres peregrinantur &c. non ut Dominum quærant, ſed ut ſe, remotâ ab animo ſuo indifferentia, ad ea quæ precantur; nec in Divinam voluntatem & beneplacitum projecta mente ſua. Horum certè orationes, nec orationis nomen merentur, & idcirco exaudiri dignæ non ſunt. Itaq; ſi vis orare DEUM verè, plus ſtudij loca in comprimendo amore proprio, quá in concinnandis, colligendisq; ex libris precatorijs, orationibus. Nam ſi illud non egeris; quæres orationem, at non invenies hanc, niſi fucum & colorem ipſi9, nomenq; inane: ſi autem amorem in te proprium mortificabis; ipſa te quæret oratio. pones enim totaliter deſiderium tuum ſecundùm beneplacitum DEI: & tui ipſius amator non exiſtens, DEI voluntatis eris cupidus æmulator; hinc autem ſequetur, quia facili negotiô, orabis continuò, in omnibus quæ ages,
&

& quæ tibi evenient, mentem ad DEUM elevans, ipsius Sanctissimo placito te conformando.

Religiosi vel maximè amorem proprium mortificare tenentur; utpote amori DEI peculiariter mancipati; illô enim non resecto, conjungi DEO nequeunt, cui vocatio sua eos intimos reddere debet. Taceo illos, qui amore proprio seducti, ob respectum valetudinis teneriorem, facilè deserunt psalmodiam in choro, ad quam status suæ professionis ipsos obligat; vel qui meditationis tempus somno donant, indulgendo meræ sensualitati, non æquæ necessitati. Sed ad hos me converto, qui psallunt quidem, & orant, horis á Religione præscriptis, sed mente vaga, & ad alia non Divina abreptâ; & DEUM præsentem vix aliquando in memoria statuunt. Et cur ab his ita fugit oratio? quia amor proprius non eradicatus, mentem illorum implevit, possedit animum; qui illos á DEO avellit, & ad se ipsos convertit; ut, dum DEUM cogitare deberent, consideratione sui futili & vana occupentur. Amputa amorem proprium Religiose & hic tuus præcipuus labor sit, ut eum eneces: ac tunc, ipsa te quæret & inveniet oratio. Adhærebis DEO sine difficultate; si tuo cordi amorem proprium adhærere non patieris. Optimè monet Thomas á Kempis in persona Christi te alloquens. *Qui liberè ambulare mecum desiderat, necesse est, ut omnes pravas & inordinatas affectiones suas mortificet*, atq; nulli creaturæ privato amore concupiscenter *inhæreat.* De Imit. l.3. c. 53. Et paulo superius. *Quod homo semetipsum nimis inordinatè diligit, pænè totum pendet, quidquid radicaliter vincendum est; quô devictô & subactô malo,*

pax magna, & tranquillitas erit continua, adeoq; & quies in DEO per contemplationem.

MONITUM XIV.

Qui propter ignaviam suam minore bonô contentus est, jam malo appropinquat.

I. Luc 18. 11. Consideremus illa orationis ad DEUM prolatæ á Pharisæo verba. *DEUS gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri; velut etiam hic publicanus: jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Contentus Pharisæus summè fuit suis virtutibus, ut advertitis, & jam de majori perfectione ne cogitabat quidem; sufficere sibi probitatem putans, quæ eum è nefariorum hominum grege eximeret, nempe raptorum, injustorum, adulterorum &c. & numero insereret gravia præcepta implentium. Ignavia sanè ita vulgariter probū hominem invaserat; qui in plebeia, sanctitate hæsit, ad nobiliorem non contendens. dumq; ita se ipsô contentus subsistit, nec ultra pedem movere ad exactiùs DEI obsequium studet, jam malo appropinquat, quia justitiam non obtinet. Felicior erat illô Publicanus, qui per humilem pænitentiam se á sceleribus proripiens, ad correctionem vitæ ita progreditur, ut nec dicat, nec sentire videatur, satis sibi esse quod crimina nefanda deserat. Inveniuntur Religiosi, qui relictó sæculô, se hujus probris, amplius non inquinant, substantiamq; votorū religiosorum observant, &

& jam quiescunt, ad perfectiora non eluctando: glorianturq; quòd non sunt sicut cæteri in mundo peccatores, ac sicut alij in claustris, fidei DEO per vota datæ, violatores. *Inanis* planè hæc jactantia est, unctum se prædicat virtutibus; sed quibus? plebeijs, non super aromata; sed super sulphura cæterorum se esse ait. *Qualis gloria? si dicerem, quòd rosa florum Imperatrix, fragrantiâ superet ardentem picem, ferventem resinam vel sulphur cum fumat.* Did. Nissl.7. Phan. Græc. c.8.

Talesq; Religiosi dum ad ulteriorem perfectionem non eluctantur, jam malo sunt vicini; quia à justitia recedunt; quæ sita est juxta Divum Thomam, in generalitate virtutum. Parum est, si non sis sicut cæteri peccatores: cura ut non sis sicut cæteri, qui delicta horrent & evitant. Si DEO militas; audeas necesse est, quod cæteri non solent; nisi te supra turbam erigas, non fies dignus respectu tui à Christo. E via Christum viderunt transeuntem, illi viciniores, quàm Zachæus: quibus spretis, unum Christus Zachæum respexit, & elegit: quòd generosè in turba, supra turbam se quæsierit. Origenes supra illud Canticorum scribens. *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, abi post vestigia gregum; ita disserit. Si nihil egregium post hæc omnia, quæ in te collata sunt, agis: neq; te ipsum cognoscens, a congregatione gregali sequestraris; eris non solũ in grege, sed in vestigijs gregum. Ultimus enim fiet, & novissimus, qui primatûs suos nõ intellexerit.* Ergo Religiosus dum contentus est, quod se agrege improborum secularium, & nequam Fratrum, sejunxerit, miser est; nam erit brevi, non solum in grege, sed in vestigijs gregum, dum fiet deterior Cant.1.7. Hom.2. *Religiosi non progredientes in perfectione gravibus delictis vicini.*

Reli-

Religiosis dissolutis, ac etiam hominibus sæculi nefarijs. Utiq; filius factus prodigus, non conculcabat Patrem, non eum contemnebat, neq; ab eo filiali recedebat affectu; sed tantùm petiit, portionem substantiæ dari sibi ab illo; ut hâc accepta, majora Parentis beneficia non curaret, contentus, donata sibi ex ipsius gratia portione; quò autem devenerit? scimus: quia vivendo luxuriosè mox illam substantiam dilapidavit, & ad extremam egestatem redactus, ne fame periret, porcis se immiscuit, ut siliquis vesceretur cũ ijsdẽ, verũ ab his exclusus, tanquã illis deterior. Fit quãdoq; ut Religiosꝰ portione donorũ Dei reddatur contentus, amplioribus ejus gratijs acquirendis non studens; hic brevì, & illorum donorum DEI jacturam faciet, in licentias effusus, & post hæc inops virtutibus religiosis effectus, ad seculi porcos, qui terrenarum rerum vili cibo saginantur, se conferet; ast negabitur ipsi & hæc porcina alimonia, eritq; contemptibilis in seculo, qui per suam ignaviam supra alios noluerat eminere in claustro. Non pauci enim recensentur, qui dum inter nos viverent, primùm in modica probitate, scilicet extra enormia scelera se locabant; tum sensim in horum aliquod vel in plura lapsi, à nostro cætu excludi meruerunt: dumq; temporaneorum bonorum vilie sca pasci vellẽt, ab hac repulsi, afflictâ, angustiatâ

2\. & abjectâ vitâ trahere coacti sũt, ac in hac cõtabescere.

Job. 29. 18. *In nidulo meo moriar*, ait Job. Unusquisq; Religiosus idem dicere debet. Nonne enim è domibꝰ

Colos. 3. 3. Parentum ad sepulchri Dominici tenebras commigravimus? ut & nobis illud Apostoli aptari possit. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO.* Ergo moriendum est nobis, & morien-

endum est in nostro nidulo. Sed nonnullis satis est, in domum Domini secedere, ut á sagitta volante in die & á dæmonio meridiano sint tuti. Nolo persodi, nolo peccare; cæterum volo vivere; satis mihi est, si me ab ictibus gravium delictorum immunem reddam; non expedit, ut mihi mortem adsciscam, moriarq; penitus mihi in omnibus, Ergo non ad sepulchrum de utero confugisti, sed ad arcem. Scito, quia non ad hortum te proripuisti, sed ad tumulum. Elatus es ad hunc; non ut pomis novis pariter ac veteribus sagineris, versô, in pomarium tumulô sed ut á vermibus exedaris. At cum vivere ibi placeat tibi, ubi quotidie mortem provocare debueras, interimendo in te, veterem hominem, cum inclinationibus suis, amoremq; in te proprium enecando; circumspice te, & adverte, quàm malè stes: & videbis, quia *vita* tua est *appropinquans in inferno deorsum* Eccl. 51. 9. ad mortem æterná vita talis te ducit, & huic appropinquat: Sepelieris in inferno, qui sepeliri noluisti in claustro.

3

Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ, comedit bruchus; & residuum bruchi, comedit rubigo, ait Propheta: Joel. 4. *Videtur Dominus* (uti observat Oliva) *ita naturæ leges constituisse, ut ubi plurimum, recondidit pretij, ibi minimum exstare voluerit splendoris.* Strom. l. 4. *Sic mala punica, duro obtexit cortice: sic frumentum, palearum vilitate obsepit: sic aurum in luto mersit: sic margaritas, non rudi modò, sed asperâ inclusit concha. Sic deniq; & inscripturis, tabernaculum, pilis pellibusq; aut obtexit, aut protexit. Sic Sponsam, quam florere jussit ut lilium, spinis undiq; vallavit. Sic Pauli sapientia, tanquam aurum*

Religiosi pretiosi ideoq; in humilitate abditi.

in

in testa delituit vilioris aspectûs; unde & clamabat: habemus thesaurum istum in vasis fictilibus Deniq; *in Evangelio mendicus Lazarus moriturus inter Angelos, inter canes vixit: & cujus cor omni gemmarum fulgore radiabat, caro sordibus scatebat.* Pretiosi sanè sumus Religiosi ob nostri statûs, & vitæ perfectionem: nam *Religiosus vera moneta est, á DEO formata vel expressa;* adeoq; recludimur in angustis cellulis, involvimur grossô & obscuro tegumento, abdimur in profunda humilitate, latemus in abjecta paupertate, tegimur modestiæ velô, recondimur in demissa obedientia; cùm DEUS ita constituerit, ut dotes virtutesq; religiosæ, in quibus ille plurimùm recondidit pretij, minimum exhibeant splendoris. Ast tu Religiose, qui parvâ contentus probitate, nihilominus cooperiris humilis vitæ insignibus, oculis illudis humanis, dum putant hi, sub illis involucris, nimium pretiosa latere. Scito quia residuũ hoc perfectionis tuæ, quod modicum ignavia tua habet *comedet eruca* quæ juxta S. Hieronymum tristitiam designat, quæ mentem rodit; occupabit enim te hæc facilè, dum à præsidibus ad majorem perfectionem excitaberis, pœnis & monitis, tum vorabit locusta, quæ juxta eundem D. Doctorẽ levitatem & inconstantiam animi exprimit, dum metu adactus, perfectiora sectari incipies, sed mox ab ijs recedes, indulgentiam superioris nactus, vel vigilem ejus oculum effugiens; dein absumet *bruchus;* nempe conversatio cum peccatoribus, quam per bruchum intelligi vult Isidorus: declinabis enim commercium cum amantibus disciplinam religiosam, sed dissolutis conjungeris, & cum secularibus nequá erit

S. Ignatius M. E. 3. ad Magnes.

Religiosos nõ cõnnitẽtes ad perfectionem mala quæ maneant.

erit conversatio tua & amicitia, modò sint conspicui, ac proficui tibi: tandem illud modicum tuæ virtutis religiosæ, *rubigo* consumet, quæ est juxta aliquos interpretes, tædium & nausea vitæ perfectioris; degesq; inter pauperes Christi, in Sacro cœtu, & foris sordens, & intus fœtens. Inopia vultum decolorabit & scelus commaculabit mentem. *Inanis arca* ut inquit S. August: *inanior* conscientia: Foris nihil, intus nihil. Quæ de foris sunt, inopia con- consumpsit; quæ verò intus sunt, iniquitas. *Serm: 29. de ver. Dom:*

4. *Ezech. 19. 3.*

Palæstina eduxit unum de leunculis suis, qui Leo *factus est. Et didicit capere prædam hominemq; comedere.* Invenies Religiosos, qui gravia scelera devitant, & velut feroces leones non fovent, immò excludunt ex animo suo; satisq; sibi esse per suam ignaviam arbitrantur, ut hos leones à se arceant; leunculos autem, id est minores noxas alunt. Ast sensim leunculi hi, fient Leones; nam qui majora nonnisi crimina patrare veretur, ad minores defectùs pronus, & in hos facilè prolabens, ad nefanda & gravia demum se resolvet, Leonem indues Religiose, si leunculum induisti, si muscas deglutire didicisti, disces prædam capere, hominemq; devorare. Assumet robur dissolutio tua in tantùm, ut futurus sis scandalo Fratribus tuis, & externis. Nō nutries illorum perfectionem exemplô tuo; hos autem non pasces verbo vitæ, ut in timore DEI crescant: sed devorabis illorum probitatem, horum præsertim, qui sunt pusilli per ætatem in Religione, vel per statum in hac: hi enim vel maximè esca sunt obvia & prima ferocientis scandali: hos autem, nimirum seculares, tua vita illis accōmodata, ad nefan- *Religiosi leves defectûs nō declinātes in enormia labuntur scelera.*

da animabit magis. Ah utinam nunquam immanes
S. August. hic leones ejusmodi, ex leunculis formati, reperiantur in claustris! *sepulchrum enim est, patens guttur eorum*, qui *quasi* devorant eos, *quibus* suô exemplo *perversitatem persvadent*. Hi leones rabidi, veterē
Religiosi corrupti noxii. disciplinam consumpserunt, non in uno ordine, & sepelierūt intra se: necesseq; fuit, ut primævus instituti rigor exstaret, ad resuscitationē ejus, reformationes operosas, & arduas adhibere. Horum Leonum vel unus, præsertim si eruditione, activitate in agendo, & authoritate, invalescat, graviorem stragem potest facere virtutis Christianæ in Regnis, & Provincijs, maximè si è cavea claustri erumpat; quàm mille immanes bestiæ, quas desertum seculi enutrivit, & in suo sinu constanter fovit, ad perniciem probitatis, omnisq; honesti.

5. Matth. 20. 7. Pater familias inveniens stantes quospiam, sic illos arguit: *Quid hic statis tota die otiosi.* Ea reprehensione petuntur Religiosi, acriùs certè à Patre familias cælesti. Vocati sunt ad operandum pro gloria DEI, fortiùs & solidiùs de die in diem, tenentur enim in perfectione crescere, & nunquam in parte ejus subsistere, satis se jam laborâsse non autumando. Ad quid ergo subsistunt? cur hærent, modicam perfectionem assecuti? movete gressus ultra;
Cor. 10, 12. ignavia vos non detineat. Si statis, videte, quid vos maneat: *Qui existimat se stare, videat ne cadat.* Stando cadetis in enormia scelera, & ex illis in barathrum perditionis ruetis præcipites. Frustra tantùm regredi times, ne pereas: nam non solùm retrò eun-
Is. 22. 19. do, sed etiam subsistendo, pervenitur ad perniciem. Audi arguentē te & minantē tibi Dominū. *Expellā te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te.* In-
digna-

dignabitur tibi DEUS, eò, quòd, propter ignaviam tuam, minore bono contentus sis, & malo te permittet approximari; & expellet te de statione tua, subtractis tibi auxiliis efficacibus ad subsistendum ultra, laberisq; in enormia scelera, ac ex his in perniciem. Audi doctrinam D. Augustini: *Tam diu nō relabimur retro*, ait ille, *quā diu ad priora contendimus, at ubi cœpimus stare, descendimus, nostrumq́ non progredi, reverti est. Si volumus non redire, currendum est.* Audi & D. Bernardum adhortantem Fratres suos. *O Monache! non vis proficere! vis ergo deficere? nihilominus: quid ergo vis? esse manere volo, qui sum; nolo esse melior, neq́ etiam deterior. Hoc ergo vis, quod esse non potest; quid enim stat in hoc seculo?* Ergo procedendum tibi est, ne recedas; progredi debes in perfectione, ne in hac subsistens, ad perniciem progrediaris. A qua ut se procul removerent salutis æternæ cupidi, horrebant stare, sed continuò procedebant è virtute in virtutem; implebatq; unusquisq; illorum in se istud. *In mercedem justi festinat, & in hora veloci processus illius fructificat.* Ep.134. Eccle.11.24

6. *Ad perfectionē in dies maiorē, contendētiū exēpla.*

P. Joannes Breheuf nostræ Societatis, decem annis ante mortem votô nuncupatô, & quotidie renovato, spopondit, se in singulis; quæ ageret, id quod perfectius intelligeret, curaturum.

P. Jacobus de Saura studium ardens proficiendi, in Spiritu, votô luculentissimè contestatus. Forma ejus voti, hæc refert. *Amore SSmæ Trinitatis & Omnium SS, voveo, quòd ad maximam perfectionem velim contendere. Nosti mi DEUS desiderium meum; & quomodo moriar præ amore, quem habeo,*

tibi purissimo affectu serviendi: o DEUS meus! o amor meus suscipe me in servū tuū: & meā mihi negligentiam benignus remitte. Voveo item, quòd velim eniti ad Angelicam puritatem, quod ad rem nullam afficiar, nisi ad te, & propter te, neq; aliquid amabo nisi te DEUM; quōd in rebus omnibus, in quibus non cernitur peccatum, obtemperabo meis superioribus, omnemq; eorum voluntatem, affectu & perfectione, quâ potero exequar, quidquid faciam, dicam, cogitabo, desiderabo, id omne futurum sit amor SSmæ Trinitatis, & Domini mei JESU, ac Dominæ meæ MARIÆ, ac S. Josephi, S. Patris mei Ignatij, & curiæ Cœlestis universæ, quòd regulas meas observabo, neq; deliberatè peccatum etiam minimum aut imperfectionem ullam committam. quòd cum gratia DEI mei, conabor esse in continuo actu exercitioq; amoris, conformitatis, resignationis, & desiderio eidem DEO meo placendi: & quòd omni loco ac tempore, in DEI præsentia ambulare studebo. Votum hoc propriò sangvine consignavit, ex aperto pectore, quod satis profunde aperuit, ut relicta cicatrix post mortem, indicabat. *Porro* illa omnia fuisse ad effectum deducta, nota hujus hominis Sanctitas, vitæq; rigidæ amor, dabant documentum. P. Gaspar Drużbicki, studium profectûs, ita amabat, ut huic indesinenti conatu & industriâ, se impenderet totum. Opera quæ hoc in genere scripsit, declarant, illud sanctè ingeniosum proficiendi desiderium, ut præcipuè legitur in libro, cui titulus: *Negotiatio Spiritualis*, & in alio (qui inscribitur) *Provisiones senectutis*, ac in tertio, sub titulo: *Sublimitas perfectionis.* In quibus tractatibus, illumi-

luminatissimo spiritu, artes proficiendi, ac merita cumulandi ita describit, ut alibi legi non possint. Idem constat in formula intentionum defæcatissimarum, quas passim legere est, tum in nominatis voluminibus, tum in ipsius vita. Subijciam tamen hic intentionis paradigma; ut palam sit, ad quantam ipse anhelaverit perfectionem. Continuum vitæ reflexivæ exercitium, hoc idem studium comprobat. Nam viginti octo examina faciebat, supra materias diversas (quas vita sua refert) non longis temporibus dissitis. Praxis porro intentionis, quam adhibebat ad ordinarias actiones, ut illas, ad sublimem perfectionem elevaret, ita habet. Primo. *Sanctissima Trinitas DEUS meus, te agnosco, amo, desidero, laudo, adoro. Tibi obedio, te timeo, veneror, dignifico, & exalto super omnia.* Secundò. *Affectu tuo, affectu Sanctissimæ amabilissimæq; Verbi Æterni JESU Christi Humanitatis, affectu Pretiosissimæ Parentis: affectu omnium Beatorum Spirituum: affectu omnium Sanctorum, atq; Sanctarum: affectu deniq; omnium creaturarum.* Tertio. *Per hanc actionem meam, & per omnes præteritas, præsentes, futuras actiones, passionesq; meas, omnium potentiarum corporis & animæ meæ, omnium creaturarum, mihi ex communione creationis unitarum, atq; ex affectione liberæ voluntatis, atq; charitatis erga illas, propter te DEUM meum, in personatarum atq; transsubstantiatarum.* Quartò. *Semel pro semper, pro tota vita, pro omnibus & singulis momentis vitæ, sive existentiæ meæ, aut etiam partium mearum, & omnium creaturarum.* Quintò. *Majori quàm unquam hactenus fervore spiritûs, millies milliesq;* Intentionis sublimis praxis.

maso-

majori proportione & incremento, fervoris, puritatis, caritatis, diligentiæ ac dignificationis tui, vilificationis autem mei. Sextò. *Ad purum & omnem gustum tuum, ad nullum præmium bonumve meum, ad nullum gustum bonumve creatum, á te separatum; præterquam ad eos fines, quos gustui beneplacitoq; Dignitatis ac voluntatis tuæ subordinatos; specialiter, in omnibus universim & singulis specificé actionib9 passionibusq; intendere possum, vel debeo, vel tu vis.* Septimò. *Seraphicè, MARIANE, Christiformiter, omnitudinaliter, ineffabiliter, hujusq; unius actûs pro omnibus substitutivè.* Octavò. *In unione mihi appropriatorum, tibi autem DEO Trinitati oblatorum meritorum JESU Christi, & pretiosissimæ Parentis, Sanctorum omnium & Angelorum.* Nonò. *Atomicè, Sacrificativè, primitialiter, heroicè, omnipossibiliter, digné te dignissima Trinitate DEO meo.* Decimò. *Quia mihi placet; ut mihi placeas; ut tibi placeam, amplius & amplius.* Ita fervidus & ad tam sublimia ascendens, erat processus in perfectione V. P. Gasparis. Non contentus ille erat minori bono perfectionis; sed omni studio, toto conatu, totis viribus; adinventisq; ingeniosè industrijs exquisitis, eluctabatur ad summum virtutis culmen, ut procul á malo distaret.

MONITUM XV.

Optanti humiliter delitescere, manifestat se DEUS; vané ostentanti occultat.

MO-

QUòd se manifestet se, DEUS, optanti humiliter delitescere, patet id clarè in Moyse. Hic enim & aulæ splendores, & Principis Filiæ adoptionem serenissimam derelinquens, maluit latere inter dumeta, quàm eminere in palatio, præelegit abijci inter pecora, quàm exaltari in solio: *Pascebat* enim, à Regali munificentia fugiens, *oves Jethro Soceri sui*; & dum profundiùs se abderet, obscuras sylvas petens & *minâsset gregem ad interiora deserti, venit ad montem DEI Horeb. Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* En quomodo latebras quærenti, & publicum declinanti, DEUS se manifestat, in luce prodigoiosè clarissima! Quia latuit, DEUM in splendoribus conspicuis vidit, meruitq; insuper, ut arcana Divini consilij de eliberando populo DEI, è servitute Ægyptiaca, sibi panderentur: demum ex spontanea sui depressione, DEUS illum ad se evexit, dicens ei: *Ego ero tecum*, & mirabilia signa potestatis suæ, ipsi communicavit. Si volumus & nos illuminari à DEO, & Divinitatis nobis mysterìa patere cupimus, ac ut se nobis DEUS communicet, desideramus; ad hæc obtinenda, latebras quæramus, optemusq; humiliter delitescere. *Nam beatæ humilitatis ita excelsa est majestas, ut dum illa suò judicio in ima deprimitur, Divina provehente gratia, ad Cælestia sublevatur.* Unde etiam monet S. August: *Altus est DEUS, humilias te, & descendit ad te; quoniam excelsus est, & humilia de proximo respicit, ut attollat, ut bonis repleat.* Et S. Angela docet, dicens: *Verè, qui est in humilitate fundatus habet conversati-*

I.

Exod. 3. 1.

Ib. 2.

Ib. 12.

B. Petr: Dam: *serm. 3. in Nat: S. Joan. Bapt:*

Apud Mansi. disc: 13. n. 6.

sationem Angelicam, purissimam, benignissimam, & pacificam.

2. Convertamus oculos ad Joannem Divinissimum, quô *non surrexit major.* Et unde tanta desumpsit incrementa; ut & in maximum Prophetam, arcanorum Divinorum capacissimum excreverit, & supra alios omnes natos mulierum, gratijs donisq; Cælestibus se erexerit? & inter Angelorum Dominum contemplantium, adlectus sit cætum? *Ecce ego mitto Angelum meum, ante faciem tuam?* præcursorq; Salvatoris effectus, qui est DEUS de DEO, lumen de lumine? Quia abdere se studuit, idcirco tam splendidè excrevit, enituit: Legimus de illo, quòd puerulus adhuc, deserti profunda petierit, & à Sacerdotij Nativi dignitate, & à Paternæ domûs majestate recedens, secedensq; inter sylvarum latebras. Scimus quoq; originis suæ splendores, & corporis venusti decora, illum obscuro & vili, involvisse tegmento. *Erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea, circa lumbos ejus.* Ex tanta autem humilitate, in qua se tumulaverat, eductus in admirabile lumen; donatus enim conspectu intimo Verbi Incarnati, dum eum per baptisma suum in Jordane ablueret, & contemplatione cum eodem, apertæ Cælestis curiæ, Spiritusq; Divinissimi, in specie columbæ descendentis.

Marc. 1. 2.

S: Joannes Bapt: humilitate sublimis & illustris evadit.

Ib. 6.

Divâ Magdalenâ humilitas exaltavit

Spectare etiam libeat, Divam Magdalenam. Videtis illam ad pedes Sanctissimos Redemptoris prostratam, eosq; aromatibus perfundentem, abluentem lacrymis, abstergentem comis, oscula ipsis infigentem, ad mensam unius de Pharisæis; & ad hanc acriori crisi, probrosoq; peccatricis nomine, profundiùs,

us depreſſam. Jam advertite eandem poſtmodum, cum Chriſto glorioſè apparente, agentem familiariter & devotiſſimè. Demum in antro deſerti Maſſilienſis, ſepultam ultra triginta annos, ac ibi carnem inediâ, dolore, ſilentio, flagris, frigore, ac aliis tormentis variè cruciantem, cernitis; & per demiſſionem animi pænitentis, ad inferos, usq; ſe demittentem intuemini. Subſiſtite paulisper in hoc lugubri ſpectaculo, & advertite, quomodo ita ſe abijciens; & occultans Magdalena, ab Angelis ad Cœlum quinquies elevetur quotidie, & in illo amoris Divini Regno, canentes Divinum amorem audiat Cœleſtes ſpiritus. Demum videte ex antro eductam, & S. Maximo Epiſcopo in Eccleſia apparentem, duobus cubitis à terra elevatam, in medio Angelorum hærentem, multo lumine circumdatam.

3. Retro quoq; iterum mentis obtutum reducite. Occurret vobis David, paſtoriciâ ſordidus perâ, nec lorica Regiâ, auro fulgente veſtitus, umbone ſplendido non protectus, nec nitidam haſtam præferens, ad majeſtatem terroris, ſed plebeiâ tunica coopertus, utpote abjectæ paſtoriciæ curæ uſibus ſerviente, rudiq; nixus baculo. Et mox contemplemini, juvenis ita deſpicabili communicatū à DEO admirandum robur, dum immanem corpore, & fortitudine tumentem Goliam, unicô lapillo, è paſtoricia penu deprompto, per unum ictum, proſtravit in acie; redeuntemq; ex hac glorioſum victorem, videte, cum plauſu occurrentis populi, & Virginum illuſtriū choro laudes ipſius decantante, & ad ſidera eum efferente, Divinæq; in eo potentiæ vim deprædicante. Audeo dicere: ſi erubuiſſet non ruberet. DE-

Humilitate David crevit

US enim, hostis caput, pédere voluit ex ejus dextra, ex qua ille, pendere fundam humilem, non recusavit. Sed si mirati sumus humilem, ante pugnam, demiremur eum humiliorem post trophæa. Sciscitatus enim est ab eo Saul post victoriam. *De qua progenie es o adolescens? Dixitq; David: Filius servi tui Isai, Bethleemitæ, ego sum.* O demissionem triumphô non erectam! Non solùm Parentem prodit, quem Rex scire cupiebat; sed & Patriam nominat perobscuram, quam silere potuisset. Non addit quod gloriæ verti posset: videlicet: filius sum Isai, cujus & multi greges sunt in montibus, & duo tecum militant filij in Philistiim. Prætermisit, quod gloriam augere poterat, præmisit, & addidit, quod extenuaret suum genus. *Filius servi tui Isai Bethleemitæ, ego sum.* Munerator illico humilitatis adfuit è Cælo DEUS: qui ut gestatorem fundæ, Gigantei capitis gestatione cohonestavit; ita demittentem se, profitentemq; & Parentis & Patriæ obscuritatem, amicitiâ Principû clarum effecit. Attende, quomodo generis obscuritas ingenuè exposita, non viles, sed gratos nos reddat DEI inspiratione, Magnatibus. Ast restat adhuc in Davide, admiratione majore dignum. Haud ita mirum, si nuperrimè digressum á grege, nec peræ illum puduit, nec Patris: Illud mirari satis nequeo, quòd posteris testatum esse voluerit, priûs á se gregem servatum fuisse, quám Regnum. *Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fætantes accepit eum: pascere Jacob servum suum.* Sanè coronâ dignus, qui perá nô erubuit; què meminisse opprobrij sui nô puduit in purpura. Fulgere protinus fecit Dominus demis-

1. Reg. 17.

Natalium obscuritas ex humilitate manifestata à nobis, honorè & amorè nobis tribuit.

Ps. 77. 70.

demissionem tantam: nam laureâ divini vatis redimitus, cui arcana paterent Cœlestia, & consilia sanctaq; Divinæ Sapientiæ innotescerent; fieretq; secretorum Cælestium particeps, ad oracula Numinis decantanda idoneus, qui se in humilitate pastoricia occultaverat.

Demum reverentissimam demittamus palpebram ad humilem & angustam domunculam Nazarethanam. In hac Virgo modestissima se abdiderat, á honore & notitia seposita; & ecce supremum Numen, è suo cælesti imperio, unum de primarijs supernæ curiæ, ad profunde latitantem expedit. En jam hic in splendore sui decoris coram ea comparet, consilium SSmæ Triadis nuntiat, de salute humani generis, per Filium DEI in terris restauranda in carne humana, ex illius virgineo utero assumenda. Nec modicè intumescit Virgo Sanctissima, quòd se Matrē DEI, ideoq; Reginam universi mox futuram intelligat; sed turbatur tali nuntio, ejus humilitas; ac dum DEI voluntati, se ad thronū suum Maternitatemq; Divinam evehenti reluctari nequit, Ancillam se Domini esse profitetur: & in eo puncto, quô se ita humiliat, Mater DEI efficitur, DEO plena, cujus se esse voluerat pedissequam. 4.

SSmæ Matris humilitas.

Patent quoq; nobis innumera ejusdem effati veritatis documenta (quod *optantibus humiliter delitescere DEUS se manifestet*) in vitis Sanctorum. Patent & plurima domestica. Unum & alterum ex his adduco. 5.

P. Bernardus Colnagus, dum Neapoli Theologiam prælegeret, cum insigni plausu, petiit à Rectore, ut bona ejus veniâ, liceret sibi sine pallio, tuni-

câ obſoleta indutum, & arcâ onuſtum, per urbem otiosè diſcurrere. Annuit votis Rector; ac ille ita onuſtus, ac veſtitus, forum, plateasq; Civitatis obibat, inter puerorum ludibria, inter amicorum obviorum ancipitem admirationem, ac varia judicia, nam alij inſanire, alij ſceleris cujuspiam pænas dare ſuſpicati: pauci ſagaci conjecturâ, rem aſſequebantur. Egregius autem ſui contemptor, lentè ac ſuſpenſo gradu, redibat ad Collegium. Et mox poſt tantâ ſui abjectionē, manifeſtare ſe DEUS illi cæpit; nam & donô Prophetiæ afflatus, futura prædicebat, & Divino conſpectu, ac Cælitum, in orationibus donatus & miraculorum gloriâ frequentium, inſignis evaſit, quæ legimus plurima in ejus vita, præſertim per ſuum Divum Antonium Patavinum ab illo patrata.

Humilitatis exaltatæ domeſticæ exēpla

6. P. Alphonſus, ſeu Baſilius de Avila, ante dies extremos rogatus, ut aliquid diceret pro ſociorum ædificatione. *Utinam*, ajebat, *Patres, lingua hæc, quæ Eccleſiaſtæ munus obijt tot annis, in culina eſſet potius lacernula vel pannus, ad lebetes defricandos, abſtergendosq́; abjectus.* Et qui in tam humili de ſe erat ſenſu, quem in verbis moriens prodidit, vivus re expreſſit, conciones illius erant, communi elogio: *Tuba Divina, Tonitru, fulmen cæleſte, ignis.* Ad eum audiendum, portis jam occupatis, per tecta ibatur. Præerat Collegio Granatenſi, & nihilominus ad populum dicebat. Quia templa auditorem non capiebant, ſub dio verba faciebat, magna vi, magno fructu; ita, ut illius concionibus, illuſtriſſima & doctiſſima capita Societati ſe adjungerent. Nempe Madridius Franciſcus de Torrez, Petrus Barnaleze. Iniquos

quos quosdã Judices, qui Religiosum Sacerdotẽ publico supplicio affecerãt, palã pro cõcione die Dominico, ad tribunal Judicis vivorum ac mortuorũ provocavit; seq; illic compariturum dixit, futurumq; ajebat, ut quẽ audire hic noluerunt monitorẽ, ibi sint habituri fiscalẽ seu advocatũ. Post paucos dies, vera ex manifestatione divina, prædixisse Basiliũ, patuit. Nã post hos ipse religiosè obijt, eadẽ nocte, unꝰ ini quꝰ Judex extinctus & alter. Tertius superstes, qui consentire nolebat iniquæ damnationi; Mortuorum opes periêre. Uxores & filij, ad stipem mendicato corrogandam redacti. 7:

Jam oppositam priori veritatem perpendamus, quam secunda pars moniti exprimit; nimirum, *quod vanè se ostentanti DEUS se occultet.*

Non revoco ad Cœlum Luciferum, & prævaricatores Angelos, ut ex hoc per fastum, & sui decoris vanam jactantiam, á visione DEI, rudentibꝰ inferni detractos, in abyssum perditionis, exhibeam: Non restituo Paradiso Parentes hominum primos; ut in hoc latebris involutos ante faciem Domini demonstrem, dum in esu vetiti pomi vana præsumptione inflati erant per dapiferum subdolum, esse Divinum illis promittentem, & rerum scientiam. Gen: 3.6, *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Non extendo palpebras in Caimum, ad Sacrificia, in quibus vana sui æstimatione ad invidiam contra germanum exarserat, seq; idcirco ejectum á facie DEI lamentatur. Non propono oculis uxorem Loth in salis statuam conversam, ne videret educentem se Dominum ex incendio Sodomæ, eò quòd civitatem suam respexerit, vanô ejus pretio & amore illecta. Non demonstro Saulem in solio; qui dum Davidem victorem

ctorem supra se evectum audit encomiis, doletq; ac fremit, vano fastu ipsum commovente; DEUS ab eo recedit, à maloq; spiritu invaditur. Non propono spectandum Davidem, averso ab eo vultu Divinæ clementiæ, dum post numeratum suum populum, vana potentiæ jactantiâ erectus erat. Et alia exempla quamplurima ex Sacra historia non depromo, ad declarandum, quod vanè se ostentantibus DEUS occultetur. Nec etiam è sepulchro infernali Hæresiarchas effodio nefandos; qui omnes abjecti in æternû à conspectu Domini, & in perpetua oblivione miserationis Divinæ, tumulati infelices: quòd vana eruditione perversorum dogmatum, celebres esse voluerint. Sacris eloquiis, veritatem effati illustro, & confirmo, ac recentioribus exemplis.

8\. *Tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate*, ait Propheta. Vides clarè, quomodo occultetur DEUS, superbè se extollentibus: operti enim sunt iniquitate sua, ut oculis optimi erga se Domini non pateant. Nam *odibilis coram DEO est, & hominibus superbia*; adeoq, conspectu Divino indigna. Vehementiùs monet populum Israëliticum Jeremias, dicens: *Audite & auribus percipite. Nolite elevari, quia Dominus locutus est: Date Domino DEO vestro gloriam. . . . Expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem.* Utinam & nos audiamus & percipiamus! ut non elevemur fastu inani, gloriâq; vana, ac futili nostri jactantia, soliq; Domino DEO demus gloriam! Si enim secus egerimus; dum lucem Cœlestem præstolabimur, & jam vicini, huic in æternitate hauriendæ, erimus, interimq; elevaverimus nos, præsumptione aliqua de nobis

Ps. 72. 6. *Eccl. 10. 7.* *Jer. 13. 15.*

Superbia lucis æternæ jacturâ infert, post plura & magna totius vitæ merita.

bis

bis, lucem illam paratam pro meritis vitæ, ponet Divina Justitia, in umbram mortis perpetuæ, ita ut in æternum DEUM videre nequeamus.

Comprobat id suo tristissimo exitu Anachoreta quidam, quem repræsentat Speculum exemplorum. Refert Vilhelmus Lugdunensis Episcopus, fuisse in quodam Monasterio fratrem, qui ob rigidissimam silentij observantiam, ita in spiritu profecerat, ut DEUS sibi multa secreta revelaret. Accidit autem, quod quidam Eremita in sylva non longè à Monasterio, infirmitate pressus, miserit ad Abbatem, ut se conveniret, ac sibi Ecclesiastica Sacramenta porrigeret; audiit postulata Abbas, & socium ducit illum taciturnum Monachum, ac cum Sacramentis ad Eremitam pergit. Dum essent in via, quidam latro audiens campanam minorem, secutus est procedentes usq; ad Cellam Eremitæ, & mansit foris, reputans se indignum, quatenus intraret cellam tam Sancti viri; sed postquam Eremita animum Sacra confessione expiasset, & Divinissimum Christi corpus recepisset, homo ille magnorum conscius facinorum, januæ adstans, humiliore at magis humiliato corde, subjecit: *O si talis essem qualis tu!* Subaudiit hæc moribundus, & applaudente sibi animo interiùs, reposuit. *Hoc libenter deberes velle, quod esses talis, qualis ego sum.* Ad hoc taciturnus ille frater, amarè flere cæpit. Defunctô Eremita, Abbas sociusq; silentiarius recessêre, secutus abeuntes latro, invocatô lacrymis DEO, ut daret sibi contritionem veram, & vitæ emendationem, ac concepto firmo proposito, Abbati quantocyus confiteri scelera, amplius peccare nunquam, sed pænitentiam pro

Verbo eod: n. 5.

pro peccatis assumere; Dum illi advertunt à tergo latroné sibi instare, redeũt velociùs ad claustrũ quos velociori pede assequi conatus nefariꝰ, in cursu cecidit ipso. Videns hæc frater taciturnus cæpit lætanter ridere. Sed postquam Abbas, cum illo ad cænobium rediit, quæsivit: Quare frater flevisti cum Sanctum Eremitam communicavi? quare risisti cum malus latro nos insequens, & forsitan spoliare volens, vel occidere, ac sic peccando in peccatis obijt. Respondit pius Juvenis, Pater causa fletûs mei fuit ista, quia cùm communicâsti illum Eremitam infirmum, tunc latro stetit foris ante januam, ex humilitate cordis dicens: *O si essem talis qualis tu!* At Eremita respondit in elatione mentis: Hoc posses libenter velle; & damnatus est; idcirco ego flevi. Sed latro qui nostra premebat vestigia, habuit firmum propositum confitendi, non spoliandi; nec occidendi sibi prævios, sicq; currens cecidit, & obijt, & Angeli ejus animã exceperunt, ad Cælumq; deduxerunt cũ gaudio; quia sua cõtritio fuit tãta, ut deleverit culpã, sustulerit pænam, qua propter risi ego. O rem stupendam! o inexpectatum Spectaculum! Anachoretam jejunijs attritum, cruciatibus spontaneis continuis consumptum, per plures annos in contemplatione Cælestium intra abdita sylvarum latitantem, è pauperrimo tuguriolo, in quo se amore DEI incluserat, è cinere & cilicio, Angelico pane refectum, post expiatam, à levioribus noxis conscientiã (cum à quavis graviore, rigor vitæ austerus, & profunda solitudo illum removisset) videt S. Juvenis, ad barathrum rapi, & in æterna inferni incendia abijci! Latronem veró nefarium, prædonem vitæ & fortunarum improbissimum, è sylva, suorum sce-

ſcelerum immanium nutrimento & receptaculo, adeóq; ex incolatu ſuæ improbitatis ſpurciſſimæ & licentiæ nefandæ domicilio; advertit idem, ab Angelis in cælum tolli; ac in Sede cœleſti glorioſum collocari! Portenta ſanè hæc ſunt ſpectaculi! Falleris forſan Frater optime, illudit tibi viſio; defige diligentiùs mentis tuæ obtutum, forſan oppoſita ſpectabis: nempe Eremitam poſt tot annos, in rigidiſſima vitæ Sanctimonia tranſactos, videbis protinus à morte, Angelorum miniſteriô efferri ſplendidiſſimè ad Sanctorum contubernia, & in horum primo ordine, ad intuendum perpetua æternitate DEUM, collocari. Latronem verò nequiſſimum, inter ſcelerum ſuorum execrandam farraginem proſtratum ferali mortis ictu; advertes è ſentina improbitatis, in cloacam infernalem præcipitari, à genijs infernalibꝰ. Sed minimè pientiſſimus frater fallitur; nos opinio noſtra potiùs fallit. Quæ vidit, revelante ſibi DEO vidit, dictante hoc protulit. Ergo Eremita ille, à conſpectu DEI rejectus, poſt ſuum exitum, qui ipſi contemplando in ænigmate, totâ ferè longævâ vitâ ſua operosè ſtuduerat? & latro poſt ſuum fatum, protinus ad conſpectú DEI admiſſus, à quo per plures annos in criminibus exitialibus traductos, DEUS averſus fuerat? Ita omnino. Privatur viſione DEI perenniter, Eremita decedens; fruitur ſubitò viſione DEI, latro moriens. Et quæ per DEUM cauſa metamorphoſis inauditæ? Coram Eremita in puncto mortis, elato diuturnitate accurati obſequij ſibi præſtiti, DEUS ſe occultavit in perpetuum. Latroni humiliter deliteſcenti, in agnitione ſuæ ſordidæ improbitatis, DEUS ſe manifeſtat in æternum.

Et hic agnoſcite, conſiderato latrone feliciſſimo, quàm luculenter etiam primæ partis moniti veritas in hac hiſtoria pateat, quod *optantibus humiliter delitеſcere, DEUS ſe manifeſtet.* In Anachoreta verò infeliciſſimo, perpendite evidentiam ſecundæ partis effati: quod *vanè ſe oſtentanti, & jactanti, DEUS ſe occultet.* Fortunatiſſimus latro, cui ad ſui depreſſionem, ſua crimina profuerunt; nam ex hac exaltatus ad contemplandum DEUM perenniter. Infeliciſſimus Anachoreta, quem ſua merita ad jactantiam erexerunt; nam per hanc à DEI viſione excluſus in æternum. O ſanè meritò hujus exitus uberrimis lacrymis deplorandus! illius autem mors lætitiâ ſumma proſequenda! In Anachoreta defleri debent, per tot annos collectæ virtutis, in uno momento irreparabilia detrimenta: In latrone, gaudium ingens parit, per multos annos coacervata iniquitas, unô momento deleta tota. Ille nos Divinam juſtitiam timere faciat, & horrere jactantiam; hic deprædicare & admirari Divinam miſericordiam, & humilem de nobis ſenſum concipere.

Libeat & alium infelicem è Sanctitate vitæ exitum, cum ſtupore ſpectare. Virgo quædam à juventute ſua in omni perfectarum virtutum ſtudió ſervivit DEO. Quæ dum veniſſet ad extrema; & Epiſcopus illius loci perſonaliter eam viſitaret, ipſeq; ægràm Sacramentis procuraret; admiratus vitæ ſanctimoniam in Virgine, & in ſexu debili ac tenero, heroicarum virtutum fortitudinem, dixerat circumſtantibus: *Meritô dies iſta eſt celebranda, in qua Virgo iſta devota & Sancta eſt moritura.* Dicentem avidiùs audivit Virgo, imò ſibi placuit, placens ſibi

Diſcip: in Promp: lit: T. ex 21.

bi

bi obijt. Intra ſpatium triginta dierum, apparuit Epiſcopo, atteſtans, ſe eſſe damnatam, propter ſui ipſius complacentiam, ac Spiritualem ſuperbiam, quam habuit in extremis, quando verba laudantis audivit. O Virginem miſeram! quam & ſervatæ pudicitiæ candor ad extremum usq; halitum, & illuſtrium virtutum ſplendor per vitæ totum ſpatium ſe irradians, ad lucem perpetuam in DEO videndam non juvit; ſed hos conſpicuos omnes fulgores, & ipſam, perennes tenebræ involverunt; quas in articulo mortis vana in ſe complacentiâ produxit. Diſcamus hinc, qui ex obligatione, vel charitate, expedimus in viam æternitatis animas; non laudes tribuere moribundis (prout hic Præſul egit) Sed agnitionem humilem reatuum ſuorum illis inculcare, ad timorem Divinæ juſtitiæ illos deprimendo, ſimulq; ad ſpem Divinæ miſericordiæ erigendo. Jllud practicemus: ne conſideratis ſuis meritis, metum Divinæ juſtitiæ à ſe removeant, & in præſumptionem de ſalute æterna ſibi tribuenda evehantur; exequamur iſtud; ne timore Divino nimium conturbati, in barathrum deſperationis corruant. Sit ſanè Angelicus adoleſcens, vel vir intaminatæ vitæ, ſit innocentiſſima Virgo, vel piiſſima mulier, quam luctantem cum morte ſolamur; ab encomio vel modico, abſtine Confeſſarie; ne hoſtis infernalis vafer & ſubdolus, vel maximè talibus inſidians in eorum agone; ut quos trahere ad nefas nequibat dum viverent, trahat ad hoc in extremis, & non reſtante ipſis ſpatio pænitentiæ, ad perditionem ſuam præcipitet; ne inquam tales dictô tuo quopiam inconſultô, ad elationem mentis excitet, ac ex hac

Non laudandi moribundi à Cõfeſſarÿs

admissa, à conspectu Domini in perpetuum avellat.

9. A moribundis ad viventes recedamus; videamque, quomodo hominibus, dum adhuc vivunt, vanèq; se ostentant, DEUS se occultet. Idem S. Prophetæ textus, id in nobis patefaciet. Nolite elevari, monet ille, *quia Dominus DEUS locutus est: date Domino DEO vestro gloriam. Expectabitis lucem & ponet eam in umbram mortis, & caliginem.* Non elevemur sanè; qui nihil elatione dignum in nobis reperiemus. Non talenta, non dotes corporis & animi, non eruditio ac scientia, non favores & gratiæ humanæ, non generis fulgor, non deniq; virtutum & meritorum decor, nos efferat: ista enim omnia ex dono DEI promanant: in his ergo omnibus, quæ nos claros efficiunt, & propter hæc, demus DEO nostro gloriam, ipsumq; exaltemus; nos autem in abysso nihili, quod nobis proprium est, humiliter delitescamus. Nam si nos ostentare vanè, quia non nostris decoribus tumidi, cæperimus; & lucem temporalem, quam avidè expectamus, non obtinebimus, & perpetuam quam speramus, non assequemur. Quia DEUS nostrâ jactantia inani à nobis remotus, & suum serenum vultum per successum plausibilem in curis, munijs, & negotijs, nobis subtrahet, & gratiarum suarum placidissimam faciem à nobis avertet: ponetq; nos in caligine ignominiæ temporaneæ, in umbra mortis perennis. Satiùs itaq; delitescamus humiliter; ut DEUM se nobis manifestantem experiamur. Non est à longe quærenda humilitatis materia; in nobis reperitur abundantissima. Si deliquimus vel unica lethali noxâ, ergo tumulari

lari in inferno cum dæmonibus meruimus. O certè hinc in præcipitium humilitatis agi debemus! qui in præceps damnationis abijci debuimus. Si autem anima gravioris delicti innocentem se credit (quanquam incerta hæc, & sæpe fallax fides) conscia sine dubio venialium culparum est, ob quas, pænarum gravissimarum miserias in incendijs purgatorij, diutissimis perferendas, expectat. O certè & hinc in profundo humilitatis immergi tenemur! utpote flammis purgatorij piacularibus pro nostris reatibus immergendi. Sed etsi quispiam ita illibatam conservaret vitam, ut levi etiam noxa suam inquinari animam non pateretur: adhuc habet inexhaustam humiliandi se materiam: naturæ fragilitas, corrupta ejus vicissitudo, & ad omne nefas ex se flexibilis; corporis sordida mala &c. nonne sunt sufficiens humiliationis provisio? Sed plurimos reperies, quibus nulla aut modica, dictarum immediatè miseriarum apprehensio est, ideo quòd umbras aliquas suorum decorum circumspectent; non advertunt quid sint, ex objecto & in re, sed quid sint vel esse possint ex umbra, in futili & fastuosa imagine, suæ menti comparente. Alij ex his, natalibus gloriantur, quibus natura ipsos non insignivit; alij talenta sibi & dotes animi attribuunt, quarum vix lineamenta habent rudia. Dolendum verò quòd Religiosi etiam nonnulli, in schola humilitatis, & inter hujus insignia, quibus undequaq; circumdantur, jactantiæ hederas ostentent. Sunt (*uti innui Monitô 8vo n. 2.*) qui genus suum vendicant, & verbis arrogantibus, & spiritu elato, ita ut vix non è deorum se defluxisse progenie dictitent; ac dum

Humiliandi nos habemus materiam.

Nobilitatis vana iactantia.

sac-

ſaccum præferunt, ſericum objectant. *Sordes* ubiq; ſed per ſordes, umbra quædam non ſpretæ, ſed abdicatæ nobilitatis intermicat. Alios è contra reperias (ut etiam innui ibidem) qui viles ſuas cunas faſtidiunt, nataliumq; ſuorum memoriam reſpuentes, eminere geſtiunt ſupra illos, quorum, naſcendi ſors feciſſet eos in ſeculo pediſſequos vel ſubditos.

Non damno quidem, quinimo probo, ad magiſtratus & præcipua Religionis munia, humilium origine promotionem, & ſupra nobiles eminentiam, ſi virtus & eruditio ſit promotrix, quibus ubiq; debetur faſtigium; multô magis in Religioſis cætib9, in quibus nos non genus nec proavi exornant, quorum ſplendidos titulos ad tenebras oblivionis damnare tenemur, ſolo ſervorum Domini nomine glorioſi. Sed execror faſtum & ambitionem eorum, qui depreſſi à ſorte naſcendi, eò quod vocatio eos illis pares fecerit, ſupra illos ſe ſtudiosè efferunt. Et quid manet, tam hos, quam illos ita vanè ſe oſtentantes? Ecce dum quærunt, & expectant lucem, obruuntur caligine. Fulgere clariùs ſemper exoptant; & obſcuriores per hoc redduntur. Nam abſcondit faciem ſuam ab illis Dominus, dedignatur reſpicere, præclara quævis illorum munia, in quibus non ipſum, ſed ſe quærunt. Proinde dum docent, vel prædicant, dumq; ſibi ſcientiâ & eruditione pretium comparari putant, viles, & contemptibiles, ac exoſi hominibus, ob jactantiam & faſtû efficiuntur. *Sub*trahit quoq; ſe illis DEUS cum ſuis gratijs, ad lucra animarum per eos præſtanda; nam quævis etiam ſolidiſſima cura, proximis inſtituendis impenſa, langvida & imbecillis redditur, per inanem ſui oſten-

Superbi cōtēptibiles apud homines & DEUM.

ostentationem, instituentium. Experimur sanè, ordinariè plures colligi fructus salutis, á minus doctis Religiosis humilibus, quá à summè eruditis superbis; illorum enim verba ex spiritu Divino proferri creduntur; horum à tumido fastu excludi censentur. Timeant Religiosi ostentatores sui, tandem illud; ne lucem ipsorum, quâ futiliter fulgere cupiunt, ponat DEUS in umbra mortis perpetuæ; ut qui DEO gloriam subtraxerunt, sibi eam adsciscentes, non fiant etiam gloriæ DEI participes, sepultiq; in tenebris, DEUM nunquam conspiciant.

Religiosi humiles non docti, plus præstant quam docti superbi.

MONITUM XVI.

Vocatus à DEO, literam scriptionis, ut est, imperfectam relinque.

Conforme est Monitum Regulæ nostræ Societatis, in qua S. Pater hæc nobis intimat. *Ad superioris vocem proinde, ac si á Christo Domino egrederetur, quám promptissimi simus; re quavis, atq; adeo literâ á nobis inchoata, necdum perfecta relicta.* Convenit etiam Monitum idem, cum præscripto Cassiani dato Monachis. *Cum sonitum pulsantis audierint, ad opus aliquod invitántis, certatim è cubiculis suis quisq; prorumpat: ita ut is, qui opus scriptoris exerceat, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat.* I.

Sum: 30.

Inst: l. 4. c. 12

Promptæ obedientiæ ideâ habemus in resuscitato Lazaro. *Prodijt* hic è sepulchro ligatis manibus & pedibus, ad vocem Domini se evocantis à morte. *Joan. xi. 44.*

Quod

Pro Sal: Profe: serm 30

Quod Jonghen observans, ait. *Ut promptiùs obediret, nec priùs nodos solvit, ne moram in obediendo faceret.* Utinam Religiosi hanc ideam obedientiæ in se exprimant! Sed reperies non paucos, qui audito pulsu campanæ, vel de somno se excitantis, vel ad mensam invitantis, aut ad aliquod opus prosequendum evocantis, vincula quædam prius deponunt, antequam faciant imperata, signô tintinnabuli. Hi sunt, qui dum sonum æris domestici è somno se excitantis percipiunt, prius sensûs à langvore somni solvunt, lentè & oscitando submovendo somnolentiam, donec tandem post moram quandoq; longiorem, moveant se paulatim è cubili; vel quandoq; iidem, etiam per mediam horam, quæ orationem antecedit, solvere somnolentiam nolunt, & ægrè tunc, dum jam pro illa inchoanda, pulsus aures suas verberat, stratum deserunt. Alij dum pulsatur ad mensam, negotia aliqua, quibus se adstrinxerunt in cubiculo, vel ad portam, aut alibi, expediunt, antequam descendant ad triclinium.

Non punctuales in obediendo.

Alij, dum consvetæ post prandium & cænam relaxationis finem, campana nuntiat, cæptum sermonem non interrumpunt protinus; nec cum ligato ore per silentium è loco recreationis descendunt. Voce autem superioris quispiam mandantis, auditâ, quot excusationum prætextibus! quot segnitiei & socordiæ, quibusdam quasi vinculis ligati Religiosi nonnulli, illa tarde cum disgustu & nausea, & cum murmure querimonijsq; solvunt, antequam obtemperent. O certè non est hæc Religiosa obedientia! nam ista, mandatô vel signo jubentis audit, exsilit ad opus, ligatis etiam manibus & pedibus, dum hi, & illæ, alteri alicui negotio sunt obstrictæ. De-

Dedit nobis promptæ obedientiæ exemplum D. Magdelena; cui cùm insinuasset Martha soror sua: *Magister adest & vocat te. Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum. Non quærit priùs à sorore quid Christus ab illa velit: Sed vocata surgit citò, moxq́ se in viam dat: nec præfatur ad eos, qui solandi causâ ad eam venerunt, licet essent honorati viri. Amore vulnerata, obliviscitur urbanitatis, & nacta Christi præsentiam, omnia humana & temporalia præterit.* Sed non omnes Religiosi imitamur alacritatem in obtemperando, hujus Sanctæ pœnitentis. Ordinarium enim est nonullis, ut dum à Superiore vocantur, priùs quærant, cujus rei gratiâ evocentur? & quæstiunculis alijs inanibus, vel meticulosis occupentur, antequam Præsidem conveniant. Alij amicum cum quo agunt, quando vocantur, non statim deserunt; & relinquere urbanitatem vel amicitiam nolunt, ut Christi præsentiam in Superiore nanciscantur. Si verò aliquid injungi sibi audiunt, o quot quæstionibus Superiorem fatigant antequam pareant! dicunt: & cur mihi non alteri res ejusmodi imponitur? cur tam citò? potest hoc negotium in aliud tempus differri. Exprimunt hi Sponsæ pigritiem, quæ cùm Sponsus pulsaret, clamavit: *Exspoliavi me tunicâ mea, quomodo induar illâ; Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hisce ineptijs & quæstiunculis, à Sponso deseri illa meruit. Planè fastidit satores dubiorum Christus, qui salit in montibus, & transilit colles. Abrahamum potius imitemur, quem jam quidem, Monito 12 produxi in alia materia, sed hanc etiam, factû idem illius illustrat. Imperatur huic, ut tollat unigenitum

Margin notes: 2. *Joan: 11.29.* *Sylveira hic c,35.* *Excusationes frivolæ in obediendo.* *Cant. 5.3.*

suum & occidat in monte. Dicere potuisset: Domine paratus sum, quod jubes exequi. Verùm non possum non revocare tibi, quod is quem mactari jubes, Jsaac ille est, in quo & benedicendas gentes, & mihi vocandum semen spopondisti? Vide quid mandes? ego jam illum Sacrifico. Haud ita deliravit. Duxit filium, eduxit gladium, & quod his majorem notat virtutem, non solùm non exhorruit fieri carnifex filij, sed amittendo filium, spem posteritatis ex filio nō amisit. Imitemur & Josephū SSmū. *Angelus Domini apparuit ipsi in somnis dicens. Surge & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & esto ibi, usq; dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.* Si tergiversari in obediendo, & contradicere voluisset Joseph, promptum erat: *Honora Dominum & ambulabis fiducialiter - - & si dormieris, non timebis.* Quid me jubes Angele timere Herodem, qui præter DEUM, jussus sum timere neminem? Num divisus est DEUS? Quomodo illi pareo timendo, qui timere debeo ne peream? Jubeor, & prohibeor, ab Herode cavere! Deliramenta nostra ista hæc sunt. Ipse siluit, & protinus secessit. Imitemur quoq; Apostolos, qui cum tota nocte nil cæpissent, à Christo mandatum accipiunt; *Mitte in dexteram navigij rete.* Nihil cunctati, nihil obijcientes, & miserunt rete, & cæperunt piscium copiam, obedientiæ promptioris fructum. Poterant dixisse: ut quid imperiô fatigabimur frustraneo, qui inani totius noctis labore satis superq; lassati sumus? Unde nosti in illa dextera pisces contineri? quomodo tam citò ad illam enatarunt? non pri-

Punctualitatis in obediendo exēpla.

Matt. 2. 13.

Prov. 3.

Joan. 21. 9.

pridem rete noſtrum huic immerſeramus, & nec piſculum comprehendit. Ineptia noſtra proferre ſvevit talia; Apoſtoli parent alacriter, & in ſilentio, voci Domini. Imitemur item obedientiam Ezechielis. Præcipit huic Dominus, dicens; *Et tu fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eum coram te; & deſcribes in eo Civitatem Jeruſalem. Et ordinabis adverſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comparabis contra eam caſtra, & pones arietes in gyro.* Hôc præcepto audito, certè exnunc accinxit ſe operi demandato Propheta, ne verbum etiam hæſitans, prolocutus. Dixiſſet autem, ſi tardus in obediendo eſſe maluiſſet. Domine ego quidem obtemperabo tibi; ſed vide, utrum non expediat, vel in mundo folio, vel in lamina aliqua, tantam urbem, oppugnationemq; ipſius, ab hoſte validiſſimo, delineari; ad majeſtatem operis id videtur ſpectare. Proponetur iſtud oculis, in luto expreſſum, ſine offenſa illorum proponi poterit? lædet hos, non paſcet curioſitate. Inſuper, labor meus, quem mihi injungis, exponi deberet publico, Palatiorum parietibus affigi, in conclavibus Procerum ſuſpendi, ac etiam in Baſilica Salomonis, ut videant, & legant Cives Jeruſalem imminentem ſibi pænam DEI, & ruinam ſuæ Metropolis; ac pæniteant. In abjecto autem latere, deſcriptio tantæ urbis, & tanti ejus fati, nec proponi, nec exponi poteſt, præſertim ut ſpectatorum oculos ad ſe rapiat. Nos talia, & his ſimilia proferimus, dum mandata intelligimus. Propheta tacet, nec quidquam dubitando proloquitur, & paret. Revera autem objectiunculæ moroſæ in Religioſis, infuſcant ſimplicitatem

Ezech. 4. 1.

operis imperati, prout æquè ingeniosè ac solidè (more suo) observat. *Muscæ morientes, perdunt suavitatem ungventi*, vociferatur non immeritò Salomon. *Muscæ interrogatiunculæ sunt, quæ dum solvi debent, hoc est occidi; moriendo perdunt fragrantiam, tum obedientiæ, tum verecundiæ. Impleto, quæ tibi dicuntur. Objectionem suffocato, quamvis aliquid tibi proponendum occurrat. Non te disrumpet, etiamsi eam premas in corde. Musca est, non elephas. Non obrueris mole muscæ unius. Sané in Ægyptiorum plagis, non una fuit muscarum inundatio. Et venit musca gravissima in domos Pharaonis, & servorum ejus & in omnem terram Ægypti; corruptaq; est terra ab hujusce modi muscis. Quâ importuna pecude, adeo vexatus est Pharao; ut qui pati potuerat rivos sangvinis, ranas & cyniphes; nec Moysi permittere voluerat, ut Sacrificaret; confestim post muscas dixerit: Ite & Sacrificate DEO vestro. O inamænum, importunum, noxiumq; animal! Putant quidam; grandis esse ingenij, nunquam Præsidis dicto acquiescere, nisi prius pepererint muscam. Proh nobilem partum! Non grandis ingenij, sed cerebri putrescentis fætus est, fætidum animal. Ex fimo oritur musca. Sapientis est, nescire dubitare. Vides spinam: pariet, si nescis florem, cole eam & riga. Qui rigem spinam? inquis. Ex spina flores. Ita mi sciole. Non modò florem pariet; sed rosam edet, florum reginam. Non quidquid tibi non probatur, alienum á vero est. Obedi et sile.* Obmutui, inquit Propheta & *silui á bonis.*

Eccl: 10.1.
Strom: l. 8.
In obediendo dubitationes obfuscant meritū operis
Exod: 8. 24.
Ps. 38. 3.

3 *Qui præcipit soli, & non oritur*, ait Job. Sanè Divinæ omnipotentiæ simillima foret obedientiæ vis

Job. 9. c.

in

in Monasterjis, si soli præciperet, & non oriretur. Utinam qui fulgent, latere interdum vellent ad imperium! cùm quotidie oriatur sol, vix ullus miratur; semel ad imperium Josue inhibitum, semel retroactum in remedium Ezechiæ, semel ad spectaculum crucis decolorem, scripturæ loquuntur omnes, omnesq; omnino mortales demirantur. Adeo latere cum obedientia, qui lucere posset, luce ipsa splendidiùs habetur. Ast non facilè ad vocem imperantis, lucem condimus. Arduum est, & rarum est; ut qui fulgent, protinus ad mandata, fulgorem suum in umbris condant. Antequam id præstent, o quot illorum querimonias audimus! cum luminum suorum ostentatione dicentium. Fulgebam splendidè in tot Cathedris, irradiabam mentes & animos hominum, illustre nomen ordinis mei feci, meo fulgore, & modò sub modio condor, motusq; è candelabro, ad munus obscurum abijcior. Sed audiant luminaria magna Religionū. Lucetis; sed *qui stellas claudit quasi sub signaculo*, vult vos ab astris non lucem mutuari, sed obedientiam discere, quæ latere subitò didicerunt; nec lumina sua prospectabant, dum hæc abdere juberentur; sed ea protinus condiderunt, dum jubebantur.

Religiosi aliqui, qui claret eruditione & meritis, ægre obediunt in humilibus.

Ib:

4.

Informans Discipulos suos ad prædicationē Evangelij Salvator, dixit inter alia: *Neminem per viam salutaveritis.* Quærit hinc ex illis Augustinus. *Quid est, neminem salutatis in via? quia jussit nos festinanter agere injuncta. Et hoc ita dixit: neminem &c. tanquam diceret: omnia prætermittatis, dum quod injunctum est peragatis.* Per quod mandatū Domini clarè redarguuntur nostræ moræ, & remo-

Luc. 10. 4.

Serm: 1. de Apost:

ræ in obediendo. Dum ad aliquod negotium tractandum expediuntur nonulli á superiore, vel aliquod opus exercendum evocantur, non raro, salutationibus amicorum, vanisq; colloquijs distinentur, antequam ad imperata accedant. Cùm autem per ordinationem Præsidis Provinciæ, locô moventur, non priùs ad locum destinatum movent, donec in civitate, ac hujus vicinia salutaverint amicos, benefactores, illisq; valedixerint, vanis prætensionibus præceptum ad accelerandum iter, eludendo. At cùm iter instat, o quot & quæ divariationes & divagationes fiunt! ita, ut seró & ægré, domi, ad quam sunt designati, compareant; contingitq; ut præfixum tempus officio inchoando, non attingant, ac molestiam non levem creent Præsidibus, in inveniendo substituto, qui, munus pro ipsis interea obeat; & personis loci graves redduntur, quæ suis negotijs intentæ, coguntur laborem interim subire, alterius, ab obedientia, & officio errantis.

Religiosi ad domiciliũ ex obedientia sibi designatũ tardè se moventes, ac moras trahẽtes in itinere

5. S. Basilius expeditam obedientiam volens Religiosis inculcare, infantem illis proponit, ad sugendum lac nutricis pronissimum: *Cum quali affectu, inquit obedire oportet ei, qui nos ad opus mandati cohortatur? eo affectu quô esuriens parvulus nutrici obtemperat, ad ubera invitanti.* Advertimus puerulum quempiam, nugis suæ ætatulæ distractum, crepundijs, & lenocinijs alijs contentum, dum nutrix blande ad ubera invitat, protinus abijectis illis, ad hæc sugenda proruere. Similis Religiosis inesse debet promptitudo in obedientia, dictæ puerulorum aviditati, ut efficiamur sicut parvuli, capaces regni cælestis, ac in hoc præmio-

Reg: de Insti: Monach: c. 4. de perf: subiecti.

Punctualis obedientiæ similitudo.

miorum pro perfecta obedientia capessendorum. Occupet nos, sané negotium quodpiam, solentur visitationes amicorum, ac etiam labor serius & accuratus, imò & devotum cum DEO otium distineat; nihilominus ab his subitò expediri debemus, negotia interrumpendo, amicis nos subtrahendo, eripiendo labori, devotionem deserendo; aut scriptionem etiam sacram, & proficuam, vel imperfectâ litera relicta, interrumpendo, ut ad arripienda imperata properemus & ad perfectæ obedientiæ gloriam meritumq; Cælo coronandum.

MONITUM XVII.

Tunc rectè ordinat de te DEUS, quando obedientia, propria tua consilia disturbat.

IN Josephi obediētia moniti veritas elucet, cujus *fratres cū in pascendis gregibus morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni mittam te ad eos.* I. Gen. 37. 13.
Disturbavit hoc præceptum, prudentis & cauti pueri Josephi, de se consilia. Cùm enim nosset fratres invidiâ in se æstuare, ob Patris peculiarem erga se affectum, odijsq; contra se armari sciret, ob somnia; ut sibi consuleret, vitabat commercium cum illiś, extra Patris conspectum, non prodiens; & ecce ab hoc expeditur, procul ad malevolos illos, inter dumeta & sylvas, conijciturq; in manifestum vitæ periculum, quam conservare ad solatium Genitoris sui studuerat, modosq; tuendæ non alios habuerat,
quàm

quám è limine domùs non excedere, & ad latus hærere paternum. Paret tamen optimus filius veræ obedientiæ & si per hanc de se consilia disturbari advertat. Sed quá m benè per talem obedientiam DEUS de illo ordinavit! Jnvaserunt illum quidem mala. Tunicâ violente spoliatus, crudelem vitæ jacturá vix non passus, in cisternam projectus, Jsmäëlitis pro mancipio venditus: in Ægyptum verò adductus, ad scelus invitatus, & tractus ab impudica Regina, hanc fugere relictô in manibus lascivis palliô coactus; tum ab eadem nefaria muliere, criminis, quod suus pudor heroicè repulerat, coram Pharaone accusatus, in carcerem & vincula datus. Poterat Sanctus Juvenis dolere, disturbata de se prima illa consilia per obedientiam Patri præstitam. dum se tot involutum calamitatibus sentit, minimè tamen doluit, quòd Parenti obtemperaverit. En quomodo obedientem illum, confusis cogitationibus proprijs de se, mox post ærumnas, DEUS ad supremum honorum culmen extulit! Audijt á Pharaone sibi dici. *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium, cunctus populus obedi-* Gen. 41. a v. 40. *et: unò tantùm Regni solio te præcedam - - - Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitq; annulum de manu sua, dedit eum in manu ejus: vestivitq; eum stolâ byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq; eum ascendere super currum súum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.* Splendidè sanè DEUS de Josepho ordinavit, disturbatis ejus de se, per obedientiam consilijs. Subsistamus adhuc paulisper in Æ-

pto

gypto Moyſen ibidem contemplemur. Hic procul á Regia ſe ſubmovens, eó quod à Pharaone, quæreretur ad necem, abſcondit ſe in terra Madian: ubi dum nactus gratiam Sacerdotis, ac hujus filiæ Matrimoniô donatus, degit ſecurè & pacatè á ſtrepitu & furijs aulæ ſepoſitus, diſponitq; vitam ſuam, ut eam totam in ea tranquillitate tranſigat. Et ecce diſturbantur hæc ejus conſilia imperiô Domini. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi - - - & vocavit eum de medio rubi*; juſſit repetere regiam, & abire ad Pharaonem dicens: *Veni & mittam te ad Pharaonem.* Evaneſcere itaq; debuerant cogitationes Moyſi de ſe, accedente mandato ejusmodi? Evanuerunt planè, dum Moyſes obtemperat. Aſt optimè de eo protunc DEUS ordinat; Ducem enim populi ſui illum conſtituit, & veluti Deum Pharaonis creat, dando in manus ejus ſigna & prodigia, ad liberandum è ſervitute ſuum populum in manu potenti, & brachio excelſo &c. Et hinc jam ad Religioſam obedientiam digredi libeat. Dotibus ac talentis præditi Religioſi nonulli, diſponunt quandoq; intra ſe, de ſe, cogitantes, quòd ſe hæc primum, tum alia ſublimiora in Religione munia maneant, ſeriemq; texunt & ordinant, tranſigendæ per ſpecioſa officia ætatis ſuæ. Contingit verò, ut obedientia illam ſeriem præſcindat, & conſilia illorum de ſe evertat. Exempli causâ; dum quis ad tradenda ſpeculativa, ingeniô & ſoliditate doctrinæ, ſe pollere cenſet: alius facundiâ dicendi ſe excellere exiſtimans, Sacras exedras ſibi imaginatur & ordinat; alius ad aliquodpiam aliud munus, ſe idoneum credens, in eo ſe locat per opi-

Exod: 3. 2.

4. 10.

nionem & propensionem. Contingit inquam, ut obedientia de istis aliter disponat, consiliaq; illorum disturbet: nempe, ut is qui se ad scholasticas parabat Cathedras, sacras jubeatur conscendere; qui sacras exoptabat, ad missiones expediatur; & qui hoc vel illud munus volvebat mẽte, ad aliud destinetur. Dum veró id evenit, semper de talibus Religiosis optimè DEUS ordinat. Patet enim nobis per experientiam, quód destinationibus suis non permissi, emineant in illis officijs, ad quæ per Superiores designantur; plausum ferant, & pretium fructûsq; uberes Divinæ gloriæ colligant; illi autem qui resistendo arbitrio Majorum, sua de se ipsis consilia sequuntur, passim manent inglorij, non benedicente laboribus suis Domino, quos non ex ejus nutu, sed ex suo pruritu assumpserunt; & lucra cælestia ex suis negotijs non colligant. Audiunturq; in tales frequenter prolatæ querimoniæ, dicentium: & cur hic, istud munus capessivit, cui non correspondet? extrusit aptiores suo ambitu, se intrusit, nunquam dignus officiô. En quam incompetenter illud elegit! quot errores in illo committit! &c.

3. Paulus multis Regnis & Provincijs salute imbutis, ex Jmperio Spiritûs Sancti, pergit Jerosolymam, dicens: *Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sunt mihi, ignorans: nisi quod Spiritus S. per omnes Civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes, Jerosolymis me manent.* Quod prædixit Spiritus Sanctus Apostolo, impletum est defacto. Nam dum ille tenuit Jerosolymam, brevi in vincula projectus, & raptus Cæsáream. Ergo Paulus in vinculis,

Act. 20. 22.

culis, ut Scribis fiat satis? In vinculis, & quidem totô biennio Cæsareæ apud Felicem. Quis non advertit, mandatô Spiritûs Sancti, quo Doctor Gentium Jerosolymam abire jussus est, consilia ipsius de continuanda conversione gentium, & promovenda peregrinatione, cum fructu continuo & uberrimo animarum, disturbata fuisse? Quis non miratur, tubam, toti destinatam terrarum orbi, in ipso & prædicationis & Ecclesiæ emergentis exordio, retrusam in gurgustio Proconsulis iniquissimi? Quare Domine, vas Paulum apellâsti, in quo deferretur gentibus & Regibus nomen tuum, si eum in tam longo carcere putrescere facis? O quot nationes, & quantas per tantum spatium convertisset, per quod in squalido otio delituit! quot oppida, & villas, sacro ablutas lavacro, tuo cultui adlegisset? Ast benè de Paulo ordinat Dominus, dum illius, cursum Evangelij, sic interrumpit. Enim verò, nec tunc prædicare desijt Apostolus, non tam eloquentiâ, quàm sapientiâ. Personat in hanc usq; diem catena illa, nobisq; persvadet: ejusdem felicitatis esse, & loqui Christum, & Christo jubente silere. Qui Paulum non audivimus pertonantem, stridorem catenarum ejus non possumus non audire. Exemplô locutus est nobis posterisq; nostris, qui voce tum tantùm auditoribus suis profuisset. *Porro DEUS in Cælo Ecclesiæ suæ sidera effingit, non ut luceant, sed ne luceant, suisq; latebris DEI gloriam evulgent; qui tum magnificentius effertur, cùm ad ejus imperium potest sidus non fulgere.* Perpendant id quæso Religiosi, & videant; quòd dum, DEUS per obedientiam illorum talenta abdit, consiliaq; disturbat, de illustranda à

Officia abiecta & humilia nos non deprimunt.

Oliva Strom: l.11.

se gloria sua, & de irradiando per eorum claras dotes ordinis sui nomine, latere, non fulgere illos volens; quòd inquam tunc, gloriam DEI magis conspicuam reddant, & suæ religionis famam ex umbris humilitatis, quibus eos obedientia involvit, patere evidentiùs faciant. Dices: angi te, quod indultis tibi talentis à DEO, non utaris, impediente obedientia. Immò, nemo te melius his utitur; quãdo cæteri, ea humano cõmodo, tu DEI voluntati impendis. *An vitulo, quem Samuel immolavit, non usum Samuelem*
1. Id.16. *affirmas? quòd cum aræ non mensæ imposuerit. Quinimo, utimur tum maximè gregibus, sed cum ex eis DEO hostias offerimus. Ita nos quamdiu loquimur proximis, vocem deperdimus; cùm autem ex DEI nutu conticescimus, in DEI hostiam, spiritum oris nostri commutamus. Nemo ex agnis, mallet victima esse, quàm ferculum.*

4. Assumimus consilia interdum de nobis metipsis, quæ nõ fundãtur in rationibus æternis, nec innituntur solidis spiritualibus principijs, non dependentq; à perfectionis religiosæ sancitis; sed in vanis subsistunt dogmatibus, & motivis inanibus fulciuntur; verificaturq; de nobis, quod de quibusdam dixerat
Ps. 20.12. Propheta: *Cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire.* Talia planè sunt consilia eorum, qui de speciosis in Religione munijs cogitant, ex ratione honesti sui, sub fuco & prætextu nonnisi splendidiùs gloriæ DEI promovendæ. Certè talia consilia isti non poterunt stabilire in meritis coram DEO, & in emolumentis cælestibus, ac in salutis suæ æternæ securitate. Proinde optimè nobiscum agitur, dum ejusmodi coordinata cõsilia, DEUS disturbat per obedientiam. Dum enim te Religiose Supremum Numen

men reget per Præsides tuos, & non te ipsum tu di- *Obedientia*
riges, donis & præmijs æternis cumulaberis, firmi- *Sacitis & nō*
terq; in spe vocationis tuæ subsistes, utpote Divi- *proprijs rega-*
næ voluntati incumbens, dicereq; ex animo pote- *mur.*
ris. *Dominus regit me & nihil mihi deerit.* Videas *Ps. 22. 1.*
sanè, non rarò in curuli jura dantem ligneum Oratorem, cùm Catones & Lycurgi in angulo consenescant. Spectes etsi, in sublimibus Cathedris, non excultos eruditione, nec accuratè, scientiæ aut fa- *Relig: in humi*
cundiæ scalprô expolitos erigi truncos, cùm De- *libus officijs*
mosthenes, & Platones, abjecti in vilitate munerum *positi, honori-*
canescant. Minimè tamen doleas sortem tuam, ad *fica alijs nō*
quam te obedientia demisit, non fremas indignatione, non livore consumaris, non conficiaris mœrore. Contemplare Joannem in vinculis, Paulum in compede, Samsonem ad molam, Amotem in pascuis, Josephum in ergastulo, Eliam in exilio; qui sanè omnes margaritas suas, jubente DEO, mundo diu prodere nequiverunt. Converte oculos ad eos, qui doctores in exedris, vel fuerût, vel esse poterant, ex obedientia, pulvere scholastico puerili, inter rudimenta Gramaticæ suum aurum obvolventes, vel lutô & fæcibus ergastulorum obtegentes, quales plures numeravit Societas, & nos aliquos ex illis recensebimus, Monito 19. Ut enim metalla pretiosiora naturæ pignora, intra terræ penetralia, quasi medullas in osse abdit DEUS: ita nos, suis interdum muneribus cumulat, ut ijs non utamur. Ast non ideo vilescemus; imò augebitur nostri pretium, utpote cui decus & pondus ingens, DEI voluntas addet.

invideant.

Vidimus Paulum, jam Apostolum, & Doctorem 5.
Genti-

Gentium; videamus eundem conversis retrò in eum mentis oculis Saulum adhuc, non Paulum, persecutorem, & non prædicatorem; & ex vase contumeliæ, in vas electionis efformatum, contemplemur.

Act. 9. 1. 2. *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epistolas, in Damascum ad Synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.* Dum tam sæva consilia Saulus arripit, moliturq; ac pergit cum ijs contra Christianum nomen, postquam ea furor & rabies innocui sangvinis, in ipsius animo cuderat, & ecce, subitò vox de Cœlo lapsa, disturbat illa cruda & perversa sancita, mandatum fortius intimans ei, ut desistat ab enormibus intentis: *Saule, Saule, cur me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Ib. 5. Rejectis itaq; suis pessimis consilijs, totum se Saulus arbitrio Domini subjecit, dicens: *Domine*

7. *quid me vis facere?* Ac ex hac obedientia, optimæ dispositiones Divinæ Providentiæ, de Paulo emanarunt. In hoc fundamento, Apostolicæ turris ille fastigium erexit; hinc raptus ad tertium Cœlum, vidit arcana, quæ non licet homini loqui? hinc in vas electionis commutatus; hinc Doctor Gentium proclamatus; hinc prodigiorum patrator, scrutator cordium, domitor & dominator animarum DEO rebellium, terror Dæmonum, idolorum strages, humani generis ductor ad Cœlum, effectus. Agitant interdum & Religiosos, perversa consilia ad excidium virtutis & perfectionis, tam suæ quàm alienæ. Sed dum hæc, Præsides disturbant & disijciunt, monendo, arguendo, obsecrando, deprimendo; dumq; illi

Religiosos dissolutos corrigit obedientia dum huic se subdunt.

illi parendo cum reverentia, Majorum suorum nutui; & horum directioni, ex toto se committunt; inde disponere quàm optime de illis solet Dominus: ex dissolutis enim compositi; ex protervis morigeri, ex discolis modesti, ex transgressoribus legum, harum rigidi custodes, evadunt facilè. Tum locupletantur gratijs, ditantur virtutibus, crescunt in perfectione, redduntur exemplaria probitatis. Infunditur illis zelus Apostolicus, & Spiritus Patrum, lucrantur DEO animas, cælo inserunt; & tandem vitam suam feliciter in melius transformatam, felici claudunt exitu.

MONITUM XVIII.

Semper loqui de se benè, de alijs malè, de DEO nunquam; terrena prorsus locutio est. Sed contra; de alijs benè, de se pessimè, de DEO, aut pro DEO semper; id verò lingvæ, nonnisi Cœlum & Cœlestia Sapientis.

HOc Monitum duas partes continet. Utramq; explanabo, ordior à prima. I.
Exijt, qui seminat seminare semen suum, Christus in parabola loquitur. Luc. 8.5.
Semen est verbum, juxta interpretationem ipsius Salvatoris. Semina itaq; jacimus, dum verba proferimus. Et quod contigit cum semine homini Evangelico, idem planè inter nos evenire solet, cum verbis. Aliud secus viam cadit; suntq; eorum ita cadentia verba, qui se per illa exponunt, & in illis videri volunt eruditi, experientiam rerum nacti, amicitijs & favoribus hominum præditi, talen-

talentis conſpicui, munijs præclari. Inter hos autem pleriq; reperiuntur, qui quamcunq; rem etiam minimam denarrant, eam repræſentant longè majorem, quàm revera ſit. Quem eorum morem veriùs exprimere Bartolus non potuit, quàm famoſæ illius bovinæ pellis objectu, quæ à fugitiva Didone, in minutiſſima fila diſſecta, cùm priùs vix paucorum pedum, terram obtexiſſet, ad ingentis ſpatij ambitum complectendum, poſtmodum ſuffecit; in quo Æneas ad terram Africæ, tempeſtate compulſus.

Iactantia in sermone.

Æneid. 1.

ingentia vidit
Mænia, ſurgentemq; novæ Carthaginis arcem:
Quam mercata ſolum quantum circum dare tergo
Taurino poſſet facti de nomine Byrſam
Dixerat, aut mercis Dido Sichæia doloſæ.

Iactantia exaggerativa.

Ita hi in dictione ſua jactabundi, diducendo, in gyrum trahendo, quantumcunq; modicum ſit, quod de ſe referunt, tantùm ſpatij comprehendunt, loci, temporis, (quæ ſive ex vero ſive etiam ex imaginatione tantùm, & quandoq; falſa adjungunt) ut abundè materiam Jliadi, aut Odiſſææ, dictio ſubminiſtraret. Talis erat, quanquam ſine nomine celeberrimus Lingulejus, qui ſe jactabat de quovis tenuiſſimo argumento, centies abundantius, quàm ullus alius etiam de copioſiſſimo dicturum. Verùm quàm ſtulta fuit hujus promiſſoris propoſitio, tam prudens Ageſilai reſponſio; *id nempe tantundem eſſe, ac ſi ſutor gloriaretur, ſe infantis pedibus, giganteos calceos inducturum.* Aliud ſemen verbi *cecidit inter ſpinas*, inter eos videlicet, qui quidquid dicitur, reprobant, & dixiſſe ſe non putant, niſi contra dixerint; pungunt, & carpunt, lacerant, præfocantq;

Plutarch: Apopht.

Detractores.

cantq; frumentum contradictionis dumis. Vel certè spinæ illi sunt, qui acceptum DEI verbum, in satyras statim vertunt, & quamvis propsitam rem, in fratrū detractionē cōvertūt ac infamiā. Si invitiū inveharis, confirmant statim exemplô, ab alienis moribus inducto. Si laudes virtutem; gemunt, quod ea tot cæteri careant à se nominati, aut non rarò illis ipsis qui laudantur notam alicujus vitij appingunt, vel audita extenuant encomia. Dolenter conqueritur, contra ejusmodi blaterones Oliva. *Is, qui pacis DEO hostias litat, detractionis monstrum architectatur in cœtu charitatis. Heu me! illud impletur in nobis ejulantis Prophetæ: Mors ascendit per fenestras. Scilicet, unde lucem, inde luctum; & ubi solem præstolabar veritatis, ibi detractionis mortem accepi. De jejunio loqui cœpi; ut ille heluonem fratrem proderet. De oratione sermonem institui, ut alius nugarum accusaretur. Quàm diversa sors nostra, á fortuna Samsonis! ille ex ore Leonis, mella expressit; nos in melle Leonem, imò basiliscum efformamus. Prorsus exoriri non potest rosa, quin simul spinarum phalanx oriatur. Atq; utinam ocyus detractio, quàm ædificatio maturesceret! Verùm dum alius de charitate disserit, alius arreptô charitatis verbo, fratrem insimulat invidiæ, citiùsq; hic innocentem consodit, quàm ille commendet innocentiam. Nimirum non solùm cum Jacob Esau concipitur, sed primogenitus nascitur. Tardius is, qui Spiritu DEI agitatur, simplicitatem laudat, quàm detractor dolosum arguit, & execratur. Urceus fingitur currente rota, amphora exit. Phialam elaboramus auream; & olla amaritudinis succenditur, ut incendat. Non dolerem, si convenientibus in unum maledicis, fratrum* Strom. l. 4. Jerem. 9. 21.

vita carperetur. Nunc verò, quis non assumat planctum veluti draconum; cùm videat seri verba Domini, & diaboli aconita pullulare. Tertiò, aliud semen cecidit supra petram. Semen verbi eorum, cadit supra petram, qui de DEO loquuntur nunquam. Nam verba eorum non radicata in DEO, sed in petra sterili infructuosæ vanitatis, nugarum, & scurrilitatis, quæ moveri neutiquam potest ad superna. Arescit verbum ejusmodi, & exsiccatur protinus; quia non habet humorem gratiæ Divinæ, ac in vanum emittitur.

Horum omnium sermo; nempe eorum, qui de se loquuntur benè, secus viam semen verborum jacientes ad sui jactantiam: & eorum qui loquuntur de alijs malè, semen verbi sui spinarum aculeis involvendo: tum eorum, qui nunquam disserunt de DEO, infructuosè verba promendo, & vanè; quod terrena locutio prorsus sit, patet; nam in quo solo cecidit, in hoc hæsit, ac perijt in eodem; adeoq; non erumpens, non florens, non germinans quidpiã, quod Soli justitiæ præsentari possit; ac ab hoc decoqui in frugem Cælesti horreo inferendam. Proinde sanctè monet Sapiens: *Lingva quæ immoderata est, conteret spiritum.* Si enim non moderaris lingvam, ne
Prov. 8.4. protrudat verba, de te loquentia benè, adeoq; ex amore proprio prorumpentia; si te non coercueris à loquendo de alijs malè; & si de DEO loqueris nunquam, tanquam lege solutus de eo loquendi, cui te totum, adeoq; & tuam debes linguam; conteretur spiritus tuus omnis, in sermone tuo, dum conculcabitur in via, ad quam illum exponis, vanus tui ostentator, suffocabitur à spinis, quibus illum immisces

miſces; exſiccabitur in petra, in quâ illum vanè proijcis, & ſequetur inde; quia locutio tua, nihil habens de Spiritu, de Divinis, ac Cœleſtibus, terrena prorſus erit

2.

Optima ſimilitudine lingvam immoderatam Sanctus Bonaventura depingit, dicens. *Lingva eſt quaſi Monacha, in quodam clauſtro ſituata; providente natura ne facilè erumpat.* Sicut ergo Monacha, ſi ex clauſtro erumpat, ſecularis & terrena efficitur; ita & lingva ſi ex clauſtro oris erumpit inſolenter, terrena prorſus evadit. Monacho, multò magis Monachæ, eruptio eiusmodi è clauſtro plurimùm timenda, prout monet Oliva. *Nihil magis metuendum eſt homini naviganti, quàm tellus.* (Navigamus utiq; Religioſi ad portum ſalutis, in clauſtri noſtri quodam navigio, velut in arca Noe, ut in hac ſecuri ſimus, à mundi naufragio) *Mira res eſt! naufragatur in undis, & ſaxa timet, & terram horret. Nimirum; vix naves undis hauriuntur, niſi irruant in Syrtes. Quot in domo noſtra manentibus, fuiſſet ſalutare in clauſtro! dū ex hoc evadimus, maximè noxiū futurū eſt Terra quæ nobis cibū in terra parat, mortē in undis parat: & ſaxa, quæ in urbibus ædes extruunt, in æquore ſepulchrum effodiunt.* Itaq; ex his colligitur, quodſi lingva eſt veluti Monacha in clauſtro: terram declinare debet, nam in hac ſubſiſtet, eiusq; fiet propria cum animæ pernicie. Non erumpat Monacha è clauſtro, nam ſecularis & terrena redditur; nec lingva ex clauſtro oris, quo à natura includitur, prorumpat in faſtum & jactantiam, in criſes & cenſuras, alienorum morum, nec per vana & futilia divagetur, DEO ſuo non adhærens; nam terrena prorſus erit.

Serm: 50.

Strom: l. 16. Religioſis evagationes noxia.

Plutarch. de audac. Poet. Infauſtam & infamem, antiqui illam portam urbis appellabant, per quam rei ad ſupplicium trahebantur; quapropter reliquas etiam Urbis immundicias, hac efferri volebant: vitabatur ea vicinia, neq; fas erat Sacri quidquam illo accedere; non Sacerdotibus, non victimis tranſire tutum, quin pro contaminatis haberentur. Verùm infauſta quidem; haud *Flor. l. 13.* tamen nocens, ſicut illa Romæ, per quam trecenti ſex Fabij, ad pugnam contra Vejentes egreſſi ſunt, de quibus cùm nullus in Patriam vivus rediiſſet, illa ad perpetuam infamiam, ſub titulo ſceleratæ, damna- *Os infauſtum.* ta fuit. Et quid de ore hoc ſtatuendum cenſetis, ex quò jactantia tumida prodire ſolet, & per quod alieni honeſti fatum emittitur, & ex quo vaniloquia, extra DEUM & Divina divagantia, procedunt? Terrenam portam oris ejusmodi dicite, & terræ ſordibus inquinatam, ſi ſceleratam aſſerere non audebitis. Sed utiq; á ſcelere etiam immunis non erit, ſi terreſtri limo conſpurcetur. Nefas enim ſanè eſt; os DEO & Divinis conſecratum, terreſtri pulvere ſordidari.

3. Jam ad ſecundam partem Moniti accedamus, demonſtrando oppoſitum, quòd ſcilicet *de alijs bené loqui, de ſe peſſimè, de DEO, aut pro DEO ſemper, linguæ nonniſi cælos, & cæleſtia ſapientis, ſit proprium.* Videamus id in ſemine, quod *cecidit in terram bonam,* & dedit fructum *aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.* Qui loquuntur de alijs benè, de ſe peſſimè, horum ſemen jacitur in terram bonam charitatis fraternæ, & humilitatis Chriſtianæ, ac religioſæ, fluentis cæleſtibus gratiarum irrigatam: illorum veró qui de DEO, aut pro DEO

loquun-

loquuntur ſemper, decidit in terram Sanctam, amoris Divini rore fœcundam; hinc ſequitur, quòd iſtorum lingvæ nonniſi cælos, & cæleſtia ſapiant. Dum vult Petrus demonſtrare innocentem, & ſemper intaminatá, ac ne minima terreſtris pulviſculi labe, læsá, ſui Magiſtri vitam, Divinamq;, quô argumentô id probet, intelligamus? En dicit, quia *non eſt inventꝰ dolus in ore ejus;* nempe nihil fraudulenter & noxiè dequoquam locutus; & ideo *obſervavit eum callidè Caiphas, ſi forté ex ore Mediatoris, incompoſitum ſermonem agnoſceret: propterea cernens, quòd nihil falſis objectionibus reſponderet, tentavit, ſi quomodo ipſum concitaret ad loquendum: in tacentis enim lingva nil reperitur indignum.* De ſe ipſo autem quàm malè loquatur puriſſima Sanctitas, ſcimus, cùm audivimus de ſe dicentem apud Prophetam: *Ego ſum vermis & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Jam autem de DEO Patre Diviniſq; ſemper eum locutum fuiſſe, patet in Sacra Evangelij hiſtoria: Et hinc lingvam ejus Sanctiſſimam fuiſſe, & nonniſi cælos, & cœleſtia ſapientem, deducit Princeps Apoſtolorum. Pariter conſtabit, lingvam etiam noſtram cæleſtem eſſe; ſi de alijs benè, de nobis peſſimè, de DEO, aut propter DEUM ſemper, locuti fuerimus. Quod potiſſimũ agnoſcetur, ex fructu quẽ de ſemine verborũ refert lingva ejusmodi. Producunt certè verba de alijs loquentium benè, de ſe peſſimè, de DEO, aut propter DEUM ſemper, fructus pulcherrimos gratiæ Divinæ, conſequenter lingvam ſuam, cœlos nonniſi & cœleſtia ſapientem, indicant. Nam DEUS *humilibus dat gratiam,* adeoq; & ſentientibus de ſe, ac dicentibus humili-

1. Pet. 2. 22.

S. Laur. Juſt. de triumph. c. 10.

Pſ. 21. 7.

Lingvá de Deo loquens fructificat.

Jac. 4. 6.

militer, & idcirco de se pessimè loquentibus. Charitate autem fraterna fratres prosequentibus; DEUS optimus se donat, juxta illud: *Si diligamus invicem; DEUS in nobis manet*; & ideo loquentes de aliis benè, gratijs abundare Divinis debent, cùm DEUS thesaurus gratiarum, in illis resideat. Diligentes verò se diligit, idem Dominus, prout ipse dicit: *Qui diligit me, diligetur á Patre meo, & ego diligam eum*: quales utiq; sunt, qui de ipso, aut propter ipsum loquuntur semper, ex amore enim ejus talia verba eructant: Si autem illos DEUS diligit, ergo gratijs suis ipsos locupletat. Deinde: semen verborum, de alijs benè, de se malè, de DEO, aut propter DEUM loquentium semper, fructus salutis æternæ, & trigesimos, & sexagesimos, & centesimos profert; adeoq; lingva ex qua similia semina excidunt, Cælos nonnisi & Cælestia sapit. Tale semen fuit Apostolorum prædicationis, quod in fructum vitæ æternæ, toto orbe excrevit. Ex quibus autem unus, nempe Paulus, de alijs quám benè locutus, quám de se pessimè, & quôd de DEO, aut propter DEUM semper, audiamus. Locutus sanè bene de alijs, nam Corinthios, ita alloquitur: *Ecclesiæ quæ est Corinthi sanctificatis in Christo JESU, vocatis Sanctis &c.* Locutus idem Doctor gentium de se pessimè, dum ait: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus &c.* Locutus de DEO, vel propter DEUM semper: nam vas electionis factus, ut portaret Nomen JESU coram gentibus, adeoq; nil depromebat lingua ejus ex suo corde, nisi quod in eo portabat, nempe JESUM, & quo cor abundabat; cum ex abundantia cordis, os

1. Joan. 4. 12.
Joan. 14. 2.
1. Cor. 1. 2.
15. 9.

ôs loquatur; adeoq; locutus semper de DEO & Divinis. Id etiam patet in ejus sermonibus, quos legimus, in actis Apostolorum, & in Epistolis ipsius. Aliorum quoq; Apostolorum similes fuisse locutiones, ne dubitemus, cùm tales debeant esse Apostolicæ. Imitatores & Successores Apostolorum, qui fructus vitæ æternæ in animabus producunt, & hi de alijs benè, de se pessimè, de DEO semper, aut propter DEUM loquuntur. Non profero omnium vel plurium verba; sed unius nonnisi Indiarum Apostoli S. Francisci Xaverij. Placeat audire, quàm pessimè de se Divus hic Thaumaturgus loqueretur, dum admiranda pro salute animarum ageret, & in tot Regnis fructûs abundantissimos vitæ æternæ produceret. Scribens S. Patri Jgnatio, inter alia, ita disserit. *Nunquam exprimere scribendo possem, quantùm debeam Japonibus: quandoquidem in eorum gratiam Dominus noster clarâ me notitia intimè imbuit, innumerabilium culparum mearum. Nam hactenus evagans extra me, quandam velut abyssum malorum, in mea conscientia penitus conditam non perspexeram; quoad in illis ærumnis, & angoribus Japoniæ, apertis aliquando mentis oculis, dedit mihi bonus Dominus manifestè cernere, ac quasi propriæ experientiæ sensu tangere; quàm necessarium valdè mihi sit, existere aliquem, qui perattentam, perq; sedulam curam mei gerat. Videat igitur tua Sancta charitas, dum tam Sanctas animas Patrum & Fratrum Societatis, qui in his degunt regionibus, gubernationi meæ subijcis: mihi verò per solam DEI misericordiam, modò evidenter innotuit: tam malè paratum me rebus ad istam præfecturam bene fungendam necessarijs, ut*

Epist. l. 3. Ep. 19: S. Xaver: de se pessime locutus.

ut sperare potiùs debuerim, commendari me à te curæ ac providentiæ Fratrum meorum; quàm ipsos committi mihi regendos. O quàm pessimus hic sermo est, de se ipso Sanctissimi Apostoli! Quod idem locutus sit de alijs benè, patet ex hac ipsa Epistola, dum Sanctas animas Patrum & Fratrum sibi subditorum, pronuntiat, Quòd item de DEO semper, vel propter DEUM locutus sit, clarum est in omnibꝰ ejus Epistolis ac in quovis earum apice.

4. Ps. 36. 30. *Os Justi meditabitur sapientiam, & lingva ejus loquetur judicium*, ait Propheta. Unde infero: si est os justi, ergo loquitur nonnisi talia, quæ cælos sapiunt; nam juxta Sapientem: *Justus est quasi fun-* Prov. 10. 25. *damentum sempiternum*, adeoq; non in transitorijs terrestribus se ponit, sed in Cælestibus æternis, & consequenter in his quoq; suam locat dictionem. Unde autem hoc ipsum colligitur, quod Justi lingva nonnisi Cælum; & cælestia sapiat? demonstrat oraculum, dum dicit: quia *os ipsius meditabitur sapientiam, & lingva ejus loquetur judicium.* Dum enim meditatur os hominis sapientiam, loquetur de aliis Eccli. 11. 1. benè? de se pessimè; nam verè sapientis talis sermo est. Quia juxta effatum Sacri eloquij: *Sapientia humiliati, exaltabit caput illius;* proinde, qui verè sapienter loquitur, exaltat caput suum ad superna, & quomodo? se deprimendo, ac idcirco de alijs benè, de se pessimè loquendo. Colligitur etiam, quia si lingva justi loquitur judicium, quod loquatur de DEO, aut pro DEO semper. Nam alius Propheta Soph. 2. 3. monet. *Quærite Dominum omnes mansveti terræ.* Ut sis mansvetus, adeoq; justus (cùm inter Beatos adeoq; Justos, mansveti recenseantur à Salvatore, dicen-

cente : *Beati pacifici*) debes quærere Dominum. *Matt. 5.9.*
Quem quærere, utiq; judicij munus est? nam hoc per suum sancitum, tribuere debet unicuiq; quod suum est; sanè autem est DEO debita omnis humana locutio: si enim hic omnia propter semet ipsum operatus, ergo & lingvam humanam propter se fabricavit; consequenter & usus ejus DEO tribuendus: nam qui propter se habet vestem, habet & usum vestis propter se; cujus est gladius, illius etiam est usus gladij; qui Dominus est fundi, ad ipsum etiam usus fundi ordinatur &c. Ex his autem dictis omnibus, deducitur ultra ; *quòd qui loquuntur de alijs bene, de se pessimè, de DEO, aut pro DEO semper, eorum lingva cælos nonnisi & cœlestia sapiat:* cùm meditentur sapientiam, & eloquantur judicium.

MONITUM XIX.

Fac pro DEO quid quid potes; quid quid non poteris, faciet pro te DEUS.

I. *Agere multa possumus cum Dei adjutorio quæ nos non posse autumamus.*

MUlta possumus, quæ timemus non posse. Munus Prophetandi Jeremias detrectat ob ætatem, expavescit lingvam titubare & annos, sub grandi officio, & interim majore Numinis judicio, super Regna constituitur, dante vires Domino, qui dedit officium. Petrus nocte cæca, cæcam expertus felicitatem in captura piscium, mari rete & spem simul immersit: nihil undis supernatabat, nisi laborantis desperatio. At ecce, quam multæ negarunt

horæ fortunam, una dedit. Sacerrimus Piscator, momentô, piscium ingentem numerum conclusit, exclusit desperationem, didicitq; pejoris sortis metum, sæpe in meliores exire successus. Lapillus prælia cum colosso acturus, à monte emittitur; quis non risisset, in luctas proruentem impares? Saxeum certè fragmen illud, suos damnasset ausus, perspecta tum statuæ magnitudine, tum exiguitate sua; tamen & vicit, & confractô simulacro, in montem crevit, id est, in suæ pusillanimitatis trophæum. Audiamus hæc, & audeamus, sanctè audax potentior animus est. Opera pro DEO aggrediamur, Propheticam ingeminando tesseram. O-
Isa: 49. 4. *pus meum cum DEO meo*, & dum posse nostrum, labori strenuo impendetur, aderit cooperator Dominus, robur addet, juvabit insufficientiam, opus perficiet, magno à nobis conatu inchoatum, successu majore & perfecto exitu, id appromittente Paulo. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet*; & rationem
Philip. 1. 6. innuente. *Non enim injustus est DEUS ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in*
Hebr. 6. 10. *nomine ipsius, qui ministrastis.* Injungit nobis obedientia, Ministeria, proximis præstanda, quandoq; apprehensione nostra, suis gravia circumstantijs; absit ut virium prætendamus langvorem, imposito muneri, robur corporis impari, illa utiq; amore DEI impulsi, animati amplectamur, ipso erectiores sub pondere, & non erit injustus Dominus, ut obliviscatur operis nostri, dilectionisq;, sed in continuatione actionis, lassis viribus, veniet potens adjutor, manum firmabit, solidabit humerum, inspirabit fortitudinem, nulla difficultate vincendam.

2. At metu trepidamus; terret injuncti magnitudo ope-

operis: acta quippe ingentia, semper quodam stipantur timore. *Ardua raros, ausa vocant viros*, maximè, ubi muneris difficultas, difficilem promittit successum; aut, (quod honesti amantes, magis torquet animos) forsitan, in laboris termino, stat, expectatq; operatorem confusio, metuentem, non ita se functorum officio, ut DEI gloria, Religionis honor, sua exposcet fama. Quid tremis? pavidum cor quiesce, securas interim aures erige, ad Isaiæ oracula. *Dominus DEUS, auxiliator meus, ideo non sum confusus*. Non quia sapiens, non quia potens, ideo non confusus, sed quia Dominus auxiliator ejus. *Si ingens opus, gygas tibi est?* habes auxiliatorem Jovem, fulmen in subsidia expediet, Giganti nociturum, tibi ad acta illustria, sua profuturum luce. Diffidis? sapientis crede monito, inquit ille. *Honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius*. Ea Numinis generositas est, ut inter præstita Divino honori obsequia, suorum etiā amet gloriā clientū, eorumq; labores multo alias sudore maculosos, pingat famâ, defectū operis compleat, & ornet laude perfecta. Frustra igitur formidas, honesti Religiosi, & tui, jacturam, in munere continuando, & forsitan à te terminando ingloriè, quisquis majus officium aggrederis, animo impari: en DEUS, tua cōplet acta, honestat, appretiat hominum acceptatione, quantum sua!

Sarbievius.

In actione ex obedientia suscepta, non metuenda confusio.

Isaiæ 50. 7.

Sap. 10. 10.

3.

Sed dices utiq;. *Opus magnum est, minor in me ad exequendum vis: nimium Præsidum, gravor imperÿs; Regentum certè potestas discreta, partiri debet onera, in plures uni gravia*. Tua hæc! Propheticis attende. *Secundùm magnitudinem operis & visitatio eorum*. Permitto tibi molem imponi, non in do-

Isaiæ 13. 7.

Agendis pluribus ex obedientia, sufficimus per Dei auxilium

doleo, at ecce minor. *Secundum magnitudinem operis*, Dominus Visitator venit: sustentas molem? humeros apponit suos, quò majus pondus, majori robore. Incumbat Atlanti cœlum, non uni astro grave, aderit fortior Alcides, potior multis oneris socius. Age multa, multis animum divide, habiturus integerrimũ, in omnibus Numinis adjutoriũ. Multiplicato labori robur Deꝰ multiplicat; soli orbẽ immensũ illustraturo, nõ unũ affixit radiũ. Adhuc manui diffidis adjutrici, quæ tribus digitis appendit molẽ terræ?
4. *Ad diuturnos labores DEUS senes vivificat* *At obÿcis. Officiũ molestum, quia diuturnum: non intermissus, vires attrivit labor; elephantem etiam frangit, si diu injectum sibi incumbat onus: ætas robustior molem excipiat: junioribus ejusmodi gravia debentur munera, quibus humerus firmior, mens incitatior, mihi anni quietis.* Justior querela, si humana tantummodo, respectet præsidia; iniquior, si Divina. Habacuc strenuus, commissi sibi à DEO operis executor, gravi pariter labore, ac ætate lassus, orat.
Habac. 3. 2. *Opus tuum, in medio annorum, vivifica illud:* quasi diceret: Imperata tua, DEUS Maximè, egi, quamdiu dies juventutis meæ sufficiebat robur. Ecce jam in mediò annorum, & tuum langvet opus: Sed ubi meæ deficiunt vires, adsint tuæ. *Opus tuum in medio annorum vivifica.* Oratio, solutio objecti est. Quid affers officij molestias diuturni? Vitam prius oderis, quæ tibi longa est, & molestiarum plena; quid lassum robur? illius firmamentum Dominus est: quid ad continuandos labores emortuas prætendis vires? illas vivificabit Dominus, etiam cadaverum animator. In juniores humeros, graviora non reclines acta; gloriosissimum est, senili brachio ingentia fulciri me-

rita, & præmia; ſanè quies maxima, ſuis inniti laboribus:

5. *Ad varia agenda ex obedientia Deus nos adjuvat. Corin.12.6.*

Etiam adhuc, difficultatem movet quispiam. *Varia injunguntur agenda, hæc nunc, nunc illa intimantur. Satius uni applicer muneri, ad quod vires animumq́ſentio, quid juvat per plura diſtrahi?* Eam certè, arguit diſſertationem Apoſtolus inquiens. *Diviſiones operationum ſunt, idem vero DEUS qui operatur omnia in nobis.* Si utiq; varietas munerum, nonne & meritorum? Tum glorioſum, ad multa idoneum, in multis probarj gloriosè. Lichnus eſt. qui uni allucet angulo, ſol orbem peragrat, tot illuſtrat Regna. Et quod maximum; in multiplici offici o, DEI causâ admiſſo, idem DEUS aderit, in te, per te, & tecum operaturus. Animô ad varia munera cares, qui DEUM habes?

6. *In officijs, in quibus eſt tricarũ occaſio, Deus pacem nobis tribuit. Iſa: 26.12:*

Audio? an fallor? útiq; ſubmurmurat non nemo. *Munus id tricarum occaſio, contentionum ſeges, cum pacata diſcors vita, idcirco mihi, moleſtum, arduum.* Is, quis quis es, Prophetæ ſpem auſculta, DEUM alloquentis. *Domine dabis pacem nobis, omnia noſtra opera, operatus es in nobis.* Dominus eſt, potens facere concordiam, inter te, tuumq; officium: facilè frueris pace, quam DEUS pacis operabitur in opere tuo. Si munus ejusmodi, mare inquietum eſt! confringet tumentes fluctus Dominus, muneri dabit malaciam & animo.

7. *Ad agẽda pro Deo ex obediẽtia, Deus industrias ſuppeditat. Iſ.5.19.*

Nec tandem occine. *Deeſſe tibi induſtrias, impoſito tibi officio neceſſarias:* Sed ſine cunctatione manum admove, ab Iſaiaq; ſolamen accipe. *Feſtinet & citò veniat opus ejus, ut videamus: & appropiet, & veniat in conſilium Sancti Iſrael.* O fortunata DEO obſe-

obſequia! DEUM conſultorem habetis. Age promptè obedientiæ officia, tibi loquetur induſtrias, oraculum Delphis certius, Numinis providentia. Humanos abeſſe modos, rationesq; etiam gaude, confidentiùs Divinas expetes. Difficilium operum auctor
8. DEUS, & felicitatum inventor eſt.

Terribilis fama Alpium, omnium per ora, volitabat olim: non aliter Carthaginenſes perculſos habebat, quá tempeſtatum, turbinum, trementisq; ſoli recordatio. Suſpiciebant moles illas ſaxeas, & ad has diruendas, vis nulla, nullus animus, conſilium nullú ſibi adeſſe videbantur. Quo die Annibal à Druentia movit, & acceſſit, ad eminentiſſimorum montium radices, exercitus, numero, robore, audaciâ maximus, qui ductoris premebat veſtigia, ad eorum conſpectum inhorruit, haud aliter, quam ſi, non is altiſſimas illas rupes, tráſcendere deberet, ſed ipſæ in ſubeuntis militis capita deſcenſuræ eſſent: namquè ita ſuſpenſæ in nubibus, velut propè diem caſuræ, videbantur, collis eorum imminere. Tum viæ præcipites, & ſaxoſæ, paſſim immenſæ altitudinis, voraginibus adſitæ, & prominentes, undiq; ſcopuli, alter, alterô major, & adiri difficilior, ſparſis tantùm, per eorum vertices informibus tugurijs, cætera inculti, augebant horrorem. Armenta, quæ videbantur, ſupra exſtantes clivos, paſcentia, macra fame, ac gelu horrida: inſuper montani homines, ſævo aſpectu terribiles, prælongis barbis, & capillamentô, feris quám hominibus propiores, atq; in his ipſis, tamen plus comitatis, quám in quos per plana offenderant. Plantæ omnes, mortuarum ſpecie liventes ac hiſpidæ, adeo viroris nihil habebant, ut

ne frondem vivam reperires. Jam, superiùs altissimæ nives, neq; aliud, quàm invij calles, ubi fallente vestigio, in dirupta ferri necesse sit montium altitudinem æquantia. Inde, tam arduum laborem, non citiùs, quā novenū dierū spacio terminari, donec ad jugi apicem veniatur: senos descendentibus dari, tanto majori periculo, quò via breviore, magisq; in ruinam vergente. Ad hæc meminerant, continua, cum montanorum copijs certamina, eos tumulos armis insidentium, aut ex editioribus locis, grandes petras, & saxa in subjectos impunè volventium. Deinde frigus, quô, animantes & inanima rigerent, major etiam in sociorum miserabili interitu, consternatio, cū se mutuò, ceu annuli in catena, aut traherēt in casum, aut opprimerent. Tum ascensus editi diruptiq;. ubi plus manu nitendum foret, quàm pede: major etiam in descensu labor, in abrupta pendente, & perpetua glacie lubrico. Super hæc omnia, novam viam per solidas cautes, manu, & arte pandere, hoc est, igni & aceto rupes macerare prius, quàm ferrô perfodere, quàm immanis ausi opus esse, tam etsi tridui tantùm impendiô finiatur. Totum hoc Romanæ historiæ Parens, T. Livius, pæne sub oculos calamô repræsentat. Hinc ad propositum, aliquid derivemus. Annibalis milites, tantis incommodis, laboris, famis, sævissimiq; frigoris una velut in scena ob oculos positis adeo consternati erant, ut animô deficerent, ad alteram ærumnosissimi itineris aggrediendam medietatem, nisi dux mentem, Alpium celsitudine eminentiorem præferens, in concionem progressus, exposita felicitatis magnitudine, quam propè diem, post superatas molestias, essent manu habituri

eos tantopere incantaſſet, ut eô momento, haud aliter proceſſerint, quàm illi, quos natura, viſu orbos, in viarum pericula ducit, periculorum ignaros, aut quibus conſcia quidem itinerum ardua, neglecta tamen & contempta ſunt. *Prægreſſus ſigna Annibal, in promontorio quodam, unde longè ac latè proſpectꝰ erat, conſiſtere juſſis miltitibus; Italiam oſtentat, ſubjectosq́ Alpinis montibus, circumpadanos campos; mœnia eos, tum tranſcendere, non Italiæ modo, ſed etiam urbis Romæ. Cœtera plana, proclivia fore, uno, aut ad ſummum altero prælio, arcem, & caput Italiæ, in poteſtate habituros.* Ita hic dixit, credidere iſti, cæpitq; exinde illos, ea voluptatis fiducia corroborare, quâ quidem nondum poſſeſſa jam tamen fruebantur, quatenus in procinctu ſtabant, ejus poſſidendæ. Notum, quanta ſit beatitudo, DEUM obtinere, ſed quæ ad eam beatitudinem viæ? labores utiq; ærumnæ, pericula! Notum ſit etiam quód ille nos ſublevet ac manu ducat ad ſe, ad quem per invia & aſpera progredimur, fiducialiter ejus invocantes dexteram cum Propheta. *Operi manuum tuarum porrige dexteram*; ac ſi diceremus. Domine, quod ago, opus tuum eſt, quia tibi conſecratum, ſuſceptum propter te, difficile utiq; ac ſua mole formidoloſum. Sed audax ibo, difficultates obſtant? aſt manus Domini potentior, quæ; ardua removeat? Da Numen conſiliatricē mentē, non errabo! dexteram porrige ductricem, non deviabo, mecum labora, non deficiam. Hæc revolvamus animô; & nunquam exile noſtrum poſſe, in vijs functionum Religioſarum ad eas declinandas, prætendemùs, verùm, innixi auxilio DEI, ſpeiq; in eum, excurremus

Ardui & ærumnoſi labores pro Deo ſuſcepti, cum ejꝰ auxilio feliciter cōſumantur.

mus alacres, ad munia, ærumnis difficultatibusq́; plena.

Sed pro dolor! Religioſum reperies non unum, ita valetudini indulget, parcit ita viribus, ut ſe debilem credat, aut timeat, (utinam non ſimulet!) nolitq́; labori manum admovere, niſi modico & levi, quandoq́; ulli. Ejusmodi delicatuli, audiant Iſaiam. *Quidnam tibi quoq́ eſt, quia aſcendiſti & tu omnis in tecta? clamoris plena, urbs frequens? Interfecti tui non interfecti gladiô, nec mortui in bello* Interrogat hic, urbem, & dolenter exclamat Propheta, quòd ejus incolæ interfecti ſint, carnifice ignaviâ, non heroe gladio, non in bello! o lacrymæ, Iſaiæ oculo fuſæ! juſtius nunc etiam non profluitis? Res utiq́; graves non merita gemitûs? Chriſti milites, pudendo occumbere torpore! mori inglorios! ſine pugna interfici, extingvi ſine illuſtri facinore. Non quidem hac ratione Martyrem omnibus vitam intimo, ſangvine fidei causâ profuſo, mergendam: ſed ſuper id ingemiſco, quod pauci labore nimio, in curandis animabus opprimantur, quodq́; ut populus, ſic moriatur & Sacerdos. Indecorum certè eſt Religioſum non ſtantem mori. In lecto conſumi lentè, abjectæ felicitatis eſt: duriſſimum, inter plumas, animum exhalare, & non labore confici, ſed febre comburi, inuſta malæ virtutis nota. Quotus Religioſus illacrymatur ordo, quòd ſui cadant non gladiô, non glorioſâ pugnâ, ſed velut imbelle fenum, communi mortis falce! *Vos autem, ſicut homines moriemini*, tepidos, ignavos, Regius irridet Vates! Quis Apoſtolorum, inter culcitras, molli deceſſit fato? Joannem obijcis, Chriſti blanditijs nutritum? *Recubuit ſuper pectus JESU?* at ille

9

Dolendũ quod Relig: aliqui declinẽt ſeṽos labores pro Deo & non fracti his moriantur Iſ. 2. 1

Pſal. 81 7.

ille, antequam ad vitæ metam venit, o quot luctas subijt! heros, fervido inunctus ac exustus oleo! in Patmum exul, Insulam tenuit, certè non fortunatam.

Ib. Utinam Religiosis non dicatur delicatulis. *Et sicut unus de Principibus cadetis!* adeo blandè, adeo delicatè, & cum quadam commoditatum adulatione, morituris.

10. *Nullis parcẽdũ laboribus pro DEO & animabus.* Ab Indijs, Xaverij oracula audiamus, calamô ipsius æquè, ac vitæ exemplô probatissima. *Felix corpus, si in Divino obsequio & laboribus, animarum causâ susceptis attritum, & collabescens, dicere potest; Nunc dimittis servum tuum Domine. Vita hæc beatioris auspicium facit, ut quis in corpore quasi extra corpus mole corporea quidem, adhuc terræ affigatur, sed desideriô, & mente prævola Cœlum inhabitet. Lassetur corpus, dummodo vigeat spiritus: plerumq; huic, non est bené, nisi fuerit illi malè; alter alterius deficit incrementô.* Et paulo infra. *Flamma nutritur oleo, generosus animus labore. Hunc si non recuses, parum est, etiam posce, beatiorem te credens, si copiosior affluxerit. Cessare ante tempus, ignaviæ est. Quod primus non potuit sudor, emolliet secundus, nec arbor uno scinditur, nec ferrum formatur ictu. Memento te, cùm pro anima sudas, DEO laborare, & laborem tuum amabis. Ubi autem labor magnus est, ibi labor omnis amanti parvus est.*

11. Veniunt sub oculos etiam alia exempla domestica, arduos labores diuturnosq; subeuntium, nec eos exili suo posse excusantium, utpote DEI adjutorio innixorum, & generosam animam ponentium, in opere eò gloriosiore, quó difficiliore.

P. Dominicus Pierius Belga, præter alia munia, cum

cum diligentis fortitudinis & exactæ charitatis significatione, suscepta, exactaq; longô, quia, plusquam quatuor & triginta annorum in humanioribus disciplinis tradendis labore ac patientia, operam Divinæ gloriæ navavit, in omnes officij sui partes studiosissimè intentus, inter acerbissimos etiam afflictæ valetudinis dolores, quibus illum bonitas Numinis inter scholæ exercitia exercebat sæpius. O generosam, & humanissimam erga DEUM mentem!

Humaniora longo tēpore docentur ab uno,

P. Franciscus de Mora, vel ipso nomine diuturni laboris notans præsagia, quippe, triginta quinq; annis classem Infimam diligentiâ summa, maxima sedulitate erudiendam accepit, ita ut vir egregius, in literariam, propeq; infantilem arenam descenderet, immisceret se pueris, humillimus doctor alphabeti, nescientibus literas, monstraret, manum etiam duceret, ad formandos characteres, ipse exemplo posteritati legendus, æternitati, meritô, præmiô, universim, nobis infimis mortalibus, & Superis, gloriâ. 12.

Et Infima Classis ab altero.

P. Edmundus Augerius, á Florimundo Remundo, *Excellentissimus omnium, quos unquam Francia habuit Divini verbi præco, Philosophus ac Theologus Doctissimus.* A Ludovico Richeomo. *Torrens eloquentiæ Gallicanæ, Doctor & Confessor Ecclesiæ.* A Theophilo Reunaudo. *Christianorum sui temporis Oratorum in Gallia Princeps*, appellatus, tantùm ad laborandum pro gloria DEI exarsit, ut fervorem ejus habuerit necesse temperare Oliverius Manaræus: videbantur enim, ea, quæ gerebat, humanas vires superare, præsertim hominis non robusti corpore, quale Edmundi fuerat· Festis diebus bis, cæteris ferijs semel, contentione magna, perdiuq; dicebat

Plurimi & indefessi laboris, exemplū.

ad populum, interpositis gravissimis, excipiendarum Confessionum, disputandi, scribendiq; occupationibus. Invitabatur passim ad comprimendam gliscentem hæresim, Valentiam, Lemovicum, Turnonem, Tolossam, Lugdunum, ab Episcopis, Cardinalibus, Rege Christianissimo, ac Regina Matre sua, & eo plausu, veritatem explanabat, informabat mores, ut toties, auditoris avidi, confluxerit ad viginti millia. Inter politiores aures, etiam rudi vulgo satisfaciebat, ætatiq; minori, quam Catechesi instruebat, aptis excolebat monitis. Indicta per eum nobilitati populoq;, Sacrorum reverentia, Superum cultus, Magnatibus modestia, universis recta fides, pietasq;, quo perspecto fructu, invitatores, Religiossimo Concionatori, peramplas dixêre gratias, laudes, ad impatientiam usq; animi, laudum, sanctè contemptoris. Contra Hugonottas arma moventem, Henricum Regis fratrem, Exercitûs Ducem, jussus sequi, tenuissimæ aliâs vir valetudinis, Provinciæ interea administratione, Patri Annibali Codretto comissa, ivit, totosq; dies affixus equo, ac ferme jejunus, in nuda humo noctu cubans, inter circumvolantes globos, interritus, nullius militaris ærumnæ expers, nullô fractus periculo, concionando, Sacramenta administrando, Deum precibꝰ placando, consulendo, creditus plurimum ad victoriam de Hæreticis, Sanctô animo, & præsenti vultu contulisse. Debellati, cruentissimo prælio duplici, ad Tarentiã & Jarniciũ Hugonotti Principes, eorũdẽ Duces duo, Condæus, Borboniusq; cæsi. Ejus victoriæ propè Vates fuerat Edmundus. Nã quo die feliciter pugnandũ erat, ad Jarniciũ, peractô Sacrificio, præbitaq; Hẽrico ac Duci Montipensiero, tũ cæteris Præfectis, Eucharistiâ, loricã induẽti Henrico adstitit, juvit, maleq; adhærentẽ, artubus, cõptẽ adaptavit, cohor-

cohortãs ad pugnã viriliter,pro Deo ac Religione, addésq;fiducia,non vulgari quadã. *Ito bonô animo,haud dubiè victor redibis.* Spem assertumq; eventus comprobavit, & Henricum Victorem, ac victoriæ Vatem Edmundum, laurea coronavit triumphalis. Plura aperta stabant Nosocomia, custodiæ, miserorum numero plenæ (ejusmodi enim locorum inquilinos, passim diuturna bella congregant) ut solatiorum, subsidiorumq; expertes, non viverent calamitosi, eos Pater misericordissimus sublevare statuit, quare Sodalitatem instituit, egenorum, & nullius curæ hominum adjutricem. In hac viri æquè illustres, ac fæminæ, nomina certatim scripserunt, non tam calamô, quàm manu liberali, & paupertati afflictæ legenda hilari oculo. Collegiorum præterea, Rector vigilantissimus, Turnonensis, Tolossani, Lugdunensis, auctor verò præcipuus, Dolani, Camberiensis, ac Burdigalensis fuit; ut mirum videretur, quomodo homo infirmæ valetudinis, tam firmè cuncta egerit, quomodo tot difficultatibus non succubuerit: nisi fortè profuit, quod viri strenui, ipsis solidentur oneribus. Ad hæc Provinciæ Aquitaniæ, Supremus Præses per septennium, omnis, fortunæ, prosperæ æque ac adversæ, aleam expertus, in utraq; sibi simillimus, nec prosperâ elat9 nec adversâ deject9. Tãdẽ, laborib9 Apostolicis fract9, occubuit, magnâ animarũ prædâ onustus, quadraginta millia Hæreticorũ, quadraginta ministellos (præter fideles in fide vacillantes firmatos) creditur, ad Ecclesiam reduxisse. O quot laborum! quot meritorum! quot gloriæ tituli!

Ejusdem virtutis exemplar P. Gaspar Sanchez 13.
cæterum tempore amplioris, nam quinquaginta annos humanioribus impendit, summus patientissimi laboris

boris orator, cui tanta ætate, nemus certè crevit laurearum, in coronam alijs etiam multæ charitatis officijs, quibus animarum Sanctimoniam, DEI gloriam, sui curabat contemptum.

Humaniora diu docentur ab uno.

Huc referam P. Joannem de Gvadarrama. Vir erat altis disciplinis aptus, ingenio sublimi, infimis tamen scholis, operam dare elegit, septem decim annis Grammaticam docuit, cùmq; Latio idiomate informaret pueros, simul impensissimè docebat, quomodo declinarent vitia.

Et Classes Grammaticæ eædē ab ijsdē

P. item Hieronymus de Zara sex & triginta annis Grammatico studio se impendit, Discipulorumq; animos ita ad se convertit, ut ei labori immortuus, inter illorum gemitûs, lacrymasq; sepeliretur, repententium, defuncto gratitudinem, quam vivo testari non potuerant.

Addo P. Michaëlem Sanchez. Hic lue infectis, sæpius salutaria præstitit obsequia, & Grammatico labori, annos quadraginta consecravit, teneram ætatem maturis informando moribus, ad pietatem inflammando, Divini amoris igniculis, consociando literis, optimæ virtutis characterem. Eo gloriosissimo labore, viros Reipublicæ utiles gloriososq; efformabat, plurimos accommodabat Religiosis institutis, Pater humilitate, & pietate omni Religiosissimus.

P. quoq; Renatus Cotorellus, in obsequio pestiferorum, victima charitatis, mira humilitate, simplicitate, constantiâ, viginti quinq; annis gregem puerorum, Infimæ Classi deputatorum, labore erudiebat indefesso, dante vires pulcherrimâ patientia, in ejusmodi molestiarum officio.

P. Gaspar Barzæus, habitus in animarum cura al-

ter

ter Xaverius. Laboris adeo intensi erat, ut illi vix deni homines suffecissent. Concionator ore & opere, aptabat se auditoris genio, quare, alias Patritijs, populo alias, alias infimæ plebi dicebat conciones. Votum conceperat, nulli opem negandi, sive in corpore, sive anima, quam posset præstare, & fidem obligationi executione fecit.

Quid plures memorem? sunt utiq; & adhuc numerum auge Religiose. Sed pro pudor! quoties confunderis, quis quis hæc ignavus legis? tibi arrident otia, molestiarum fugæ, blanditiæ commoditatum. Langves non viribus, apprehensione gravius, humerum quasi debilem, omni submoves labori, & labor Præsidibus es molestissimus: ita mavis audiri arundo, quàm colossus Rhodius. *Age pro DEO quid quid potes, quid quid non poteris, faciet pro te DEUS.*

MONITUM XX.

Satage tu adimplere res exiguas, & juvabit te DEUS, ut adimpleas etiam majores.

IPsius Salvatoris ac Magistri nostri genuina hæc doctrina est, quam nobis tradidit in Evangelio, sub parabola Domini, servum fidelem super pauca, alloquentis. *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Ac si diceret: adimplêsti res exiguas, ergo te eveham ad implendas majores. Uti Abigail ex humili fortuna, à Davide, in Regni, throniq; consortem assumpta est, ob tenue humanitatis obse-

I.

Matth. 25. 23.
Officia humilia nos exaltant.

obsequium, & pauca edulia, quibus Regem & ser-
1. Reg. 25. 27. vos ejus recreavit. Ita Religiosi, á parvo & vili o-
pere, dum hoc cum alacritate subeunt, & accura-
tè se illi impendunt, elevantur á DEO ad sublimia
Gen. 1. 24. 18 munia, pro majori ejus gloria sustinenda. Uti Re-
beca in Isaaci Sponsam, & promissi *Messiæ* aviam,
propter oblatum illius paranympho aquæ haustum,
adlecta est. Ita Religiosi magnorum DEI munerum,
per quæ admirationi fiunt, capaces redduntur, & præ-
clarè gestis eminent; dum minima opera Religiosa
exactè obeunt.

2. Audiamus Encomia Heroinæ cujusdam. *Ma-*
Prov. 31. 19. *num suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt*
fusum. Hæccine fortia illa facinora (quærit Boeza)
ad quæ misit manum, quod apprehendit fusum? quid
l. 10. c. 7. 5. 4. fuso cum fortibus facinoribus? Et respondet sibi:
Sanè, fortissimi etiam viri, in spirituali studio, per
levium rerum exercitium, se se ad ardua accingunt.
Modica & abiecta munia ad magna pro Deo agenda nos disponunt. Ac ita Judith, non per prostratos Leones, aut ur-
sos, ut David ad Gigantem, sed post fusum, ad gla-
dium accedit. Imple & tu Religiose, cum diligentia
modica opera, extollet te DEUS, & animabit ad he-
roicas actiones pro suo honore, & pro salute pro-
ximorum patrandas.

3. Præcipit Apostolus, ut induamus Dominum no-
Rom. 13. 14. strum JESUM Christum. Et S. Pater noster præ-
Reg. 11. sum. scribit nobis, ut curemus insignibus Christi indui.
Summæ planè perfectionis hoc opus est, ludibrijs,
Minima in perfectione ad magnā hanc nos disponūt. contemptibus, ac stulticiæ titulis vestiri, sordidamq;
hanc tunicam juxta sensum mundi, ferre cum gau-
dio, & pro stola quadam gloriæ reputare: Ad hoc
opus tam arduum, & tam sublimè in perfectione re-

ligio-

ligiosa, quâ via pervenitur? pervenitur à minimis. Si feres verborum aculeos leves; feres cum DEI auxilio etiam graves calumnias & imposturas. Si te lædi in fama sines modicè; adjuvabit te DEUS ad tolerandas publicas ignominias. Si despici in parvis non fugies, non tibi molesti erunt despectus maximi: uti, de sublimi munere Religioso, ad vile & abjectum depressio, amotio ab honorifico officio cum ignominiosa nota insufficientiæ &c. Si depretiari non metuis, in parva quam subis actione; non timebis vilipendi in magnis munijs, dum hæc geres. Si puncturas calami apud mediatos Superiores non acerbè toleras; illis, dũ tuũ honestũ lacerabitur, denigrabitur nomen, ita ut funestior titione appareas, gaudebis. Si falsa delatio in modico defectu, te non exacerbat, non lædet in absurdis criminibus, ac etiam in fæce scelerũ in te devoluta, per mendacẽ lingvam vel pennam. Per minutias illas perfectionum, DEUS nos idoneos reddit ad summam hanc perfectionem, quæ est in assumendis insignibus Salvatoris. Exerceri debent in parvis milites Christi, ut heroes ac Duces evadant in majoribus, immò Domini ac Reges fiant, Regesq; gloriæ: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Ut facili negotio laceraret leones David, ursosq; discerperet, ac tandem Goliathum prosterneret cum DEI adjutorio, in catulis Leonum, ursorumq;, prius enecandis, erudivit manûs. Pariter ut tuturrim carneam, amorem proprium, qui tibi ad perfectionis sublimitatem resistit, deprimas cum DEI ope, illius proterendis minutijs, veluti catulis quibusdam, assvesce.

Sponsa aliquando audita dolenter ingemiscere, 4.

dicens: *Exspoliavi me tunicâ mea quomodo induam illam.* Septuaginta legunt: *Exui tunicam meam, quomodo induam illum.* Magna sanè vestimentorum necessitas incumbit Sponsæ, quibus si careat, caret & Sponso. *Exui tunicam, quomodo induam illum?* Ac si diceret: JESUM induere nequeo, quia induta non sum, tunicis meis. Et quidem nihil penitus imminutum ex tata erat pulchritudo Sponsæ, nihil imminutum ex amore; tam enim immaculata hîc vocatur, & corde vigilasse cognoscitur; tamen sola projectio tunicarum, spem induendi JESUM penitus sustulit. Quid memoro tunicas? unius duntaxat tunicæ depositio facit, ut DEI agnô non ornetur. *Exui tunicam meam, quomodo induam illum.* Puto Regina & Sponsa, non unâ tegebatur tunicâ, paupercularum more. Ut intelligas, extimum modestiæ ornamentum, ita necessarium esse Sponsæ, ut corde vigilans, & renidens vultu, & columba, & soror; si illud exuerit, desperaret se vestiendam esse Sponsô in posterum. Exui tunicam, Christo non induar. Summa perfectio religiosa est, Christum induere per imitationem, hicq; labor supremus & maximus Religiosi, cui vita tota impendi debet, ut Christum in se exprimat. Modestia exterior, modicum quid reputatur ad perfectionem Religiosam acquirendam, sine illa enim solidarum virtutum decor, subsistere creditur. Modicum tamen illud à Religiosis curari debet maximè. Si enim tunicâ modestiæ te vesties, indues & Christum, cum hujus auxilio. Si tunicam illam negliges, eâ te spoliabis, spoliabis te & Christo.

Cant: 5. 3.

Modestia exterior neglecta.

5. Audi doctrinam Prophetæ: *Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non au-*

Eccli: 29. 30

audies. In hac vita peregrinamur à Domino, ſed ad Dominum, tanquam ultimum finem noſtrum. Tota ergo debet eſſe cura noſtra, ut hanc paregrinationem abſolvamus ita, quatenus non feramus improperium ab hoſte maligno, dum ſiſtemur ad metam. Hoc eſt negotium noſtrum maximum, in quod omnes animi colligi debent vires & induſtriæ. Aſt quomodo perficiemus illud? oſtendit Propheta modum: *Minimum pro magno placeat nobis, & improperium peregrinationis non audiemus.* Simus in parvis magni, per conatum & applicationem ad hæc non parvam, & ea ſolertiâ obeamus minora munia, ac ſi magna obiremus, eâq; cura minutijs attendamus, ac ſi invigilaremus maximis; & DEUS nobis aderit ad perfectionis arduum, longumq; iter, ita conſumandum, ut ex eo improperium non patiamur, ſed præmia reportemus & gloriam. Minima ſanè obicem nobis ponunt in curſu hoc mortali ad DEUM, qui eſt gloria & honor ſupremus, & ultimus noſter. Quod expertus in ſe P. Joannes Fernandez noſtræ SOCIETATIS. Huic erat in concionibus fervor eximius, in animarum lucris felicitas, apud Cœlites familiaritas ſingularis. Prælegebat Theologiam, explicando materiam de SSma Trinitate; deſideriumq; ingens concepit, ipſam intuendi: quô quadam nocte ultra ſolitum incenſus, raptus eſt in ecſtaſim; in qua ſe illi formâ humanam ſuperante tres Virgines aſſociavêre, datô monito ut ſe ſequeretur, ſi optati deſiderij vellet experimentum. Annuit; & ſubitò deprehendit ſe poſitum ad portas Civitatis Cœleſtis, qualis in Apocalypſi deſcribitur. Una ex comitib9 pulſabat januam, quærit Sacerrimus Janitor, quis

In minimis accurati ſimus.

Minima in perfectione neglecta quæ obſint nobis.

veniat hoſpes? Reponit dux Virgo, ſe adducere animam, cupidiſſimam videndæ SSmæ TRINITATIS, ideoq; petere intromitti. Patefactâ porta, introductus eſt Joannes in quoddam palatium, magna amænitate conſpicuum, in quo juſſus eſt tantisper commorari, donec conſiliô habito, nuntiatum eſſet ipſi, num ad videndam SSmam Trinitatem admitti poſſit. Receſſerunt cum Angelo Virgines comites, ſolus P. Joannes relictus; admirabatur aream, & veſtibulum palatij, ad quod quaterni gradus, exquiſitiſſimâ materia operâq; extructi, usq; ad ingentem admirationem, faciebant aſcenſum. Ingenti cupiditate ferebatur ad ingrediendum, urgenteq; hac, aſcendebat per gradus, donec ad Aulam ampliſſimam perveniret. In ipſo aditu, ſeni deformes Æthyopes, arripiunt Joannem, & in quopiam, ſuggeſtu collocant, ac concionem dicere mandant. Tum enormiter vellicant, pugnis ac verberibus feriunt, & tandem ex pulpito præcipitant. Deflebat inſperatam calamitatem, & illico videt integritatem ſanitatis ſuæ. Ergo nova aviditate, ad ſuperiora progreditur; cùm rurſus à totidem genijs tetris habetur peſſimè; collocatur in ſella, & à ternis in dextra, à totidem in ſiniſtra aure, magnis & inconditiſſimis clamoribus affligitur, in tantùm quidem, ut moriturum ſe crederet, & in ea calamitate exclamaret: o me infelicem! nam his clamoribus prorſus me enecatis. Reſpondebant tortores; ſi infelix & perditus eſſes, aliter te tractaremus; ac videri deſierunt. Adhuc urgente deſideriô, audebat perficere incæptum ad palatium aſcenſum; tum verò plures Æthyopes advolant, terræ illum allidunt, alliſum pedibus conculcant, arden-

denti pice, & resina persundunt. Hic etiam ingemiscens Joannes, deflet suam infelicitatem, cui iterum responsum: si sibi quam incusas infelicitas evenisset, duriora alia longe fuisset expertus. Disparuerunt, qui afflixerant, Pater verò devenit ad hortum amænissimum, in quo & musica aures, & nares, svavissimi odores replebant; & interea videt animam lucidissimam, solis instar radios vibrantem. & jam desiderij sui metam credidit. Tum reverenter allocutus animam, cujusnam esset interrogavit? Frater sum ajebat, de Societate JESU, in quo septennium vixi, subjecit P. Joannes: magnam profectò gloriam tenes, ad hoc reposuit illa: immò inexplicabilem dolorem; hic enim locus purgatorium meum est, in quo excrucior insatiabilis desiderij flammis videndæ Sanctissimæ TRINITATIS, eò quod in vita, parum ejus amore, & intuendæ cupiditate, flagrarem, licet beneficiô illius puritatem Angelicam conservaverim. Subinde accessit Angelus ad Joannem, ac severè eum reprehendit, quód ad hunc usq; locum pervenire præsumpsisset: explicuitq; DEI voluntatem, ut rediret ad terras, utpote qui nondum esset idoneus ad videndam Sanctissimá Trinitatem. Multis lacrymis gemitibusq; reditum excusabat, sed ea DEI mandata quibus parendum esset, Angelus significavit. Rogat igitur Pater, saltem antequam discedam, prius doce amabo, quæ nam illæ sint formosissimæ charites, á quibus adductus sum? Respondit Angelus: sunt: Fides, Spes, Charitas, quæ ubiquè te comitantur, licet eas non videas. Perquirit ulteriús

Joan-

Joannes, qui autem illi, á quibus malè habitus fui? Respondit Angelus: Illi, qui te in pulpito malè exceptum, ex eodem dederunt præcipitem, sunt defectus in concionibus, à te admitti soliti, dum prædicas te ipsum, ambiendo humanas laudes, neq; puram solam DEI gloriam & profectum animarum intendens. Qui verò tam inconditis vociferationibus aures tuas afflixerunt, sunt defectus in quotidiano colloquio, sub horam relaxationis á te frequentati, dum aliorum sermonem interrumpis, solus ab alijs audiri volens. Demum qui te ardenti balneo excruciarunt, sunt negligentiæ tuæ in frenanda sensualitate. Rediit ad se & mundum Joannes; ne verò solùm hæc fuisse in somni imagine reputaret, acres dolores, ex illo ferventi balneo sentiebat. Ac ita propter defectum intentionis defæcatæ, propter eutrapeliæ vitia, ac sensualitatis immortificationem, se fuisse prohibitum á videnda Sanctissima TRINITATE, & severè castigatum, expertus. Ergo ad illorum modicorum extirpationem, toto conatu ferebatur. Impetravit á Generali veniam, ut sibi liceret abesse á consveta recreationis hora, sensibus suis planè mortuus effectus, conciones purissimè ad DEI gloriam dixerit; ita, ut deinceps interrogaret Angelum suum Tutelarem (cum quo magna familiaritate agebat) an suæ conciones placerent DEO, responsumq; acceperit, illas omnino probari DEO. Claré hinc nobis in hoc exemplo patet, quantum impedimentum sit á minimis, ad negotium summum & felicissimum, quod est in perveniendo ad DEUM; & è contra

adver-

advertimus, quòd dum in minimis accuratam diligentiam adhibemus, DEUS nos evehit ad illud maximum. Itaq; meritò monemur, ut *adimpleamus res exiguas ; & juvabit nos DEUS, ut adimpleamus etiam majores.*

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag: 3. *ſub num:* 2. *ver:* 4? *ante finem, lege* detrimenta lucrorum, *locô* jocorum.
Pag: 7. *ver.* 11. ipſis, *debet omitti:*
Pag: 10. *ver:* 2. *lege* exhauriunt *locô* eſuriunt.
Pag: 11 *ver:* 2. *ante finem, lege* nuntius *locô* nunciꝰ.
Pag. 19. *ver:* 17. *lege* aſſident *locô* aſſiſtunt.
Pag: 17. *á cap: de Abrahamo, omiſſum verbum* iret, *ſcilicet,* ad Sacrificium iret.
Pag. 18. *ver:* 1mo, *lege* in diſpoſitione *locô* diſpoſitione.
Ibid: ver: 22. *lege* expedit *locô* expediret.
Pag: 20, *ver:*12. *lege,* evectus *locô* eventus
Pag. 21. *ver:* 15. *lege:* ſpecioſa *locô* ſuſpicioſa.
Pag: 24. *ver:* 14 *lege* evecto *locô* evecta.
Pag: 45. *ſub num:* 7. *ver:* 5to, *omittitur* non: *debet enim legi.* pacatam non ducunt vitam.
Pag: 52: *ſub num:* 10. *ver:* 6 *ante finem: lege:* omnis ſolatij *locô* omnes ſolatij.
Pag: 70. *ver:* 24. *interrogationis nota debet poni, poſt lv* inter ſodales ?
Ibid: lege: turbatur, *locô* turbaturꝰ.
Pag: 74. *lege:* præſtitos *locô* propoſitos.

Pag:

Pag: 88. *ver:* 19. *lege:* illud *locô* illum.
Pag: 97. *post medium á capite, ver:* 4to, *lege:* febricitare *locô* fabricatore,
Pag: 100. *ver:* 20. *lege:* assveto *locô* assvetum.
Pag: eadem ver: 22. *lege:* erudito *locô* eruditum:
Pag: 101. *ver.* 2. *lege:* excruciant *locô:* excruetant.
Pag 106. *ver:* 12. *lege.* factum *locô* facti.
Pag: 123. *ver: penultimo, lege:* adunatur *locô:* adamatur:
Pag: 125. *ver:* 1mo *lege:* á Domino *locô* Diomno.
Pag: 133. *sub num.* 5. *ver:* 12. *lege:* barathrum *locô* baratrnum.
Pag: 134. *ver:* 4. *lege.* auxilijs, *locô* auxijs.
Pag: 140, *sub num:* 3. *ver:* 8. lege: Juveni *locô*, Juvenis
Pag: 152. *ver:* 3tio *ante finem, lege:* venditant, *locô* vendicant.
Pag: 158. *ver:* 2do obſervat, *addendum:* Oliva.
Pag. 160. *sub num:* 5to *ver:* 9no. *lege:* intentum *non* contentum.
Pag: 166. *ver:* 12. *in textu*, ſed cura ijs, ſed *omittendũ*
Pag: 173 *sub num:* 4to *ver:* 12. *lege:* dierum, *non* dies.
Pag: 178 *post num:* 9num. *ver.* 1mo. non unum, *addi debet:* qui.
Pag: 188. *ver:* 7mo. *ante finem, post* Hugonotti, *coma ponatur, non post* Principes.

RE-

INDEX RERUM

In quo litera M. Monitum, litera N. numerum marginalem designat.

A

Gra-

L

M

M.

Obe-

Pæni-

Reli-

R

Per-

V

X

Z

Zelus vid: *labor pro Gloria* DEI.

Zelus animarum laboribus non parcens, abundat gratiis Divinis, in vita & morte, M. 7. n. 2.

FINIS.